Annus XVI. Aprilis 1902. N. 4.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

ROMANA.

A Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum resolutio expetita fuit, nimirum:

I. Quum iuxta Rubricas statutum sit in Missis Feriarum Adventus etc. genuflectere debere omnes in Choro, dicto per celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini* inclusive: quaeritur utrum hoc idem tenendum sit quoties praefatae Missae celebrentur sine cantu?

II. An quotiescumque recitantur in Choro preces feriales tempore Quadragesimae, debeant omnes, Hebdomadario excepto, genuflexi manere etiam in commemorationibus Sanctorum simplicium et in Orationibus Suffragiorum?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis liturgicae, rescribendum esse censuit:

Ad I Affirmative.

Ad II Affirmative iuxta Rubricam Generalem Breviarii Tit. XXXIV De precibus, n. 4.

Atque ita rescripsit. Die 4 Martii 1902.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

DUBIUM.

A Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit, utrum Indultum Apostolicum, quod concedi solet pro Regno Hispaniae, ut sacra paramenta caerulei coloris adhiberi possint quoties celebratur Missa Immaculatae Deiparae Conceptionis, sive festiva sive votiva, comprehendat etiam Missas Apparitionis B. M. V. Immaculatae, vulgo *de Lourdes*, et Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae a sacro Numismate vulgo *della Medaglia miracolosa?* Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum esse censuit: *Negative.* Atque ita rescripsit. Die 15 Februarii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ADNOTATIO.

Si Missa, tam de festo, quam votiva, Immaculatae Conceptionis Deiparae pro regno Hispaniae fert ex indulto colorem caeruleum, qua de causa eumdem ferre non debet colorem Missa, tam de festo, quam votiva, Apparitionis Immaculatae Deiparae, vulgo *a Lourdes* dictae, nec non Manifestationis eiusdem Immaculatae a sacro Numismate nuncupatae? Nonne utrumque hoc festum de Immaculata Conceptione est, ut plurima ex illius officio ac Missa illud mutuare compertum sit? Nonne ergo iure attendi poterat ad propositum dubium affirmativa responsio? Nonne ergo videtur oppositum responsum negativum minus cohaerens?

En difficultas, quam fortasse obiicere lectores possent, multoque magis qui dubium proposuerunt, negativum re-

sponsum perpendentes. At animadvertendum ex opposito est: *a*) Quinque, non plures esse praeceptivos Romanae Ecclesiae colores in sacris paramentis adhibendos, album, rubrum, viridem, violaceum, nigrum (*Rubr. Gen. Missal. Tit. XVIII, n. 1*); ergo color caeruleus manet extra legem. *b*) Cum itaque ex solo privilegio regnum hispanicum caeruleo colore utatur, mirum esse non debet negativum responsum. Privilegia enim tantum tribuunt quantum sonant: maxime in praesenti casu, qui est profecto contra ius commune, ac proinde privilegium strictae interpretationi subiicitur. *c*) Porro, quamvis Apparitio et Manifestatio Immaculatae Deiparae mysterium Conceptionis Immaculatae respiciant, nihilominus ab eo valde differunt, festo perpenso. Immaculatae enim Conceptionis festum respicit praeservationem Deiparae ab omni originalis culpae labe: dum alia duo habent pro obiecto eiusdem Deiparae Immaculatae apparitionem, vel manifestationem, quae in illo certe festo comprehendi nequeunt. *d*) Ad summum potuisset ad duo haec festa S. R. C. privilegium extendere coloris caerulei. Cum nihilominus privilegia extendi *per se* non debeant de casu ad casum, neque per auctoritatem suam agere id censuit sacrum Tribunal, sed legi communi standum esse voluit.

Eapropter regnum hispanicum impetratis gaudere debet, Missas Immaculatae Conceptionis, non solum in die festo, sed aliis etiam diebus, quibus votivae licent, celebrando in colore caeruleo; sed ab hoc colore in omnibus aliis eiusdem Immaculatae Deiparae festis, seu iam concessis, seu quae concedi in futurum possent, albo colore utetur, secundum ius commune, sicuti reliquae Ecclesiae.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IV.

DE QUIBUSDAM SIGNIS AGENDIS VEL NON A SACRIS MINISTRIS IN SOLEMNIORI MISSA.

(Decr. 2682 ad 29; 2850 ad 2; 3535 ad III)

Lucius et Maurus Sacerdotes in quadam Ecclesia invitantur, ut Diaconi et Subdiaconi fungantur munere in solemniori Missa. Cumque ipsi Rubricas adamussim servare satagant, sintque edocti ut post signum Crucis in fine *Gloria, Credo et Sanctus* non iungant manus, satis mirantur, quod plures Celebrantes, quibus assistunt, illud agant, ut satis aegre illis se conforment. Eadem afficiuntur admiratione dum alios Celebrantes vident post communionem Calicis, plus minusve in Sacramenti meditatione defixos. Quod nihilominus Lucio et Mauro nimis est iniucundum, respicit propriam in quibusdam a seipsis agendis incertitudinem, quam ob legis obscuritatem, uti dicuut, relinquere nesciunt. Hoc autem est: num semper debeant se signare quoties se signat ipse Celebrans, aut inclinare caput quoties ipse Celebrans inclinat. Item dubitant, utrum ad *Nobis quoque peccatoribus*, sicut etiam ad *Agnus Dei*,

nec non ad *Domine, non sum dignus* percutere nec ne debeant sibi pectus, quemadmodum facit Celebrans: adeo ut pluries ad haec signa quod pertinet minus sint inter se conformes. Ratio dubitandi est, quia ex una parte vix aliquid super iis Rubricae innuunt: ex alia, Responsa S. R. Congregationis ad rem expetita, haud perspicua videntur, sed potius obscuritate quadam laborare. Hinc *quaerunt:*

1. Num signa, de quibus in casu, seu capitis inclinatio, percussio pectoris, signum Crucis aliaque similia ad ipsum Apostolorum aevum revera ascendant, ut ab Ecclesiae incunabulis usque adhuc semper in usu fuerint in sacris?

2. Quo sensu accipienda veniant verba, quibus saepe in suis responsis utitur S. R. Tribunal " Serventur Rubricae„, sicuti peculiariter in duobus primis super citatis Decretis?

3. Quid super ultimo ex iisdem citatis Decretis, collato cum antiquiore, animadvertendum veniat, circa praefata signa, ut in casu, et cuinam rationi innitatur responsum, ut exulare prorsus queat Lucii et Mauri incertitas?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. HENRICI BENEDETTI **Pontif. Seminarii Rom. Alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 22 Ianuarii 1902; acta epitome per R.mum** P. BONAVENTURAM **a Collepardo O. M. Cap.**

1. Num signa, de quibus in casu, seu capitis inclinatio, percussio pectoris, signum Crucis aliaque similia ad ipsum

Apostolorum aevum revera ascendant, ut ab Ecclesiae incunabulis usque adhuc semper in usu fuerint in sacris?

Antequam ad respondendum historico quaesitui deveniamus, operis pretium ducimus aliquam animadversionem praeponere, indolis generalis, perquam necessariam, dum agitur de investigationibus habendis originum nostrae Liturgiae in remota antiquitate. Ne obliviscamur oportet, antiquitus liturgicam actionem, Sacrificium scilicet eucharisticum, pluribus associatum fuisse actibus, qui relationem habebant praeparationis ad ipsam Liturgiam, quique temporis decursu, tamquam accessoria, partem constituerunt ipsius actionis liturgicae, " Missa " postmodum appellatae, et quae nunc ab *Introitu* ad postremam salutationem *Ite, Missa est* producitur. Praeter enim ritum essentialem, quo, sub speciebus Panis et Vini praesens se Christus faciebat, et eucharisticas preces, quae sponte erumpebant ante et post sacrorum mysteriorum participationem, nulli alii ritus praestituti inveniebantur. Quinimo, et hisce in partibus, quas essentiales diximus, si verba consecratoria excipiantur, concomitantes preces, quamvis substantialiter eaedem fuissent, variae erant quoad formam, et interdum quoad ordinem, probabiliter de una ad alteram Ecclesiam. Maxime igitur et forte inutiliter laboraremus, inquirere praesumentes, nostrae Missae originem, tum in apostolico aevo, tum in sequentibus duobus saeculis, saltem si loquamur eadem in significatione, qua nunc verbum istud accipitur. Valde autem augeretur difficultas, si velimus illo aevo accessoria detegere Liturgiae eiusdem, caeremonias nempe speciales, quae illam comitabantur, si considerentur praesertim tria haec: 1. Nec inveniuntur, nec spes enutriri potest ut aliquando inveniantur, libri illius epochae, qui de re nostra agant, hac simplici de causa, quia numquam scripti sunt. 2. Patres et alii ecclesiastici scriptores, qui de liturgica actione sunt locuti, tanta parsimonia id egerunt et tam obscure, ut vix eorum vestigia

sequentibus detur generaliora lineamenta reaedificare christianorum conventuum. 3. Illi iidem libri, utut posteriores, qui tamen rationem Liturgiae celebrandae aliquomodo reflectant, aetate praecedenti epocham, in qua conscripti fuerunt, uti v. gr. *Constitutiones Apostolicae*, vix aliquid innuunt de antiquis rubricis, quin tamen modum referant, quo exercebantur.

Verumtamen, tanta documentorum penuria minime obstante, haec tanquam certa statuere possumus: 1. Apostoli Sacrificium eucharisticum ad hebraicam Liturgiam addiderunt, non quae Hierosolymis in Templo celebrabatur, sed in Synagogis ubique existentibus. 2. Liturgia hebraeorum, Apostolorum opera, nonnihil immutatata est, quatenus scilicet cum novae doctrinae praedicatione non conveniret. Ministerium nimirum Synagogae quatuor hisce constabat elementis: lectione S. Scripturae; eiusdem interpretattione; Psalmorum cantu; oratione. Si tamen Apostoli lectioni Veteris Testamenti, illico substituere, aut saltem adiicere nequiverunt lectionem librorum Novi, hac simplici de causa, quia nondum conscripti fuerint, haec institutio eadem accidit apostolica aetate, supplentibus ab initio Apostolis ipsis, orali praedicatione, de iis, quae audierunt et manibus contrectaverunt, quorumque pars magna fuerunt, nulla sic se manifestante necessitate conscriptos libros habendi. 3. In christianorum conventibus epochae apostolicam subsequentis, idem servabatur ordo: lectio; interpretatio; cantus; preces, et tandem Sacrificii celebratio, cum oblatione donorum, eorumdem consecratione, et mysticae mensae participatione. 4. Sacrificium, ut patet, independenter omnino se habebat a praecedentibus caeremoniis, sed temporis decursu factum est ut quid unum haec omnia constituerint, et originem nostrae Missae dederint.

Sed et aliud animadvertendum. Devota plebs hodie extranea remanet in Missae celebratione, quamvis Sacerdos

offerens, preces omnium circumstantium nomine effundat: unus Missae inserviens populum repraesentat, saepe tamen nihil de suo conscius ministerio. Sed ab initio non fuit sic! Omnes praesentes magnam in Sacrificio partem habebant, noverantque quid agerent: proprium quasi caeremoniarum magistrum Diaconum habebant, qui preces indicebat, et de ratione sedendi, standi, genuflectendi monebat. In documentis primae aetatis, quae inveniri possunt, si quid de caeremoniis adnotatum videmus, hoc, ut plurimum, ad populum praesentem refertur, non vero ad liturgicam actionem perficientem: ideoque magna cum cautela procedendum est, ne ad Altare transferamus quasdam caeremonias, quae adstantem coetum tantummodo respiciebant.

Tandem ne obliviscamur oportet illius critices historicae canonis, quod nempe documenta valorem habent localem, et nimia facilitate in Africam v. gr. transferre non possumus institutionem, quam in Syria invenerimus, nisi gravibus constet argumentis, illam utrobique extitisse.

Nunc ergo ad responsiones deveniamus. Et quod *inclinationem capitis* attinet, nonnisi ex praesumptionis argumento affirmare possumus, quod in usu fuerit aetate apostolica; novimus quippe magnam veterum Christianorum pietatem, magnamque reverentiam, qua sanctum nomen Salvatoris pronunciabant. Antiqua monumenta nonnisi de genuflexione, seu potius de statu genu flexi loquuntur, quia Christiani permanebant quibusdam diebus, et actibus sacrae Liturgiae. Hic est unicus adorationis et reverentiae actus, de quo antiqua documenta memoriam faciunt. Tertullianus (*De cor. mil. III*) inquit: " Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de *geniculis adorare*. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus „. Concilium Nicaenum (*c. 20.*): " Quoniam sunt in die dominica quidem ad orationem genua flectentes et in diebus Pentecostes: propterea itaque statutum est a s. synodo, quoniam consona et

conveniens per omnes ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem vota Domino reddamus „. In quadam antiqua paraphrasi horum eorumdem canonum, legimus: " In mandatis damus ut una eademque in omnibus locis et provinciis consuetudo obtineat, et ut homines istis diebus omnino non adorent, se ad terram usque humiliantes, sed adorent per flexionem tantummodo et inclinationem capitis, et in istis laetitiae diebus Deo preces offeramus stantes et laetitia gestientes „ Haec tamen paraphrasis a quodam Iosepho Presbytero aegyptio conscripta fuit anno 1362, aetate, ut patet, valde a Concilio Nicaeno remota, et ab apostolico aevo. Apta nihilominus invenitur ad dignoscendum illius canonis interpretandi modum; ac probabiliter paschalis temporis usum referre dicenda est. Ordines Romani mss. S. Amandi has habent indicationes: " Ad *Gloria* (ad Introitum) Episcopus psallit (ascendit) ante altare et stat inclinato capite et diaconi similiter. Ad *Sicut erat* erigunt se diaconi ab oratione et osculant altare hinc inde; et quando schola repetit versum, surgit Pontifex ab oratione et osculat Evangelicum qui est supra altare „. Et inferius: " Si dominica venerit, presbyteri inclinato capite stant, et si cotidianis diebus, genua flectunt quando inchoant: *Sanctus* „. Ex his igitur testimoniis erui datur, inclinato tunc consuevisse capite se habere ad ℣. *Gloria Patri*, et ad *Sanctus* et infra, cum in genua procumbere deberent. Hi tamen Ordines in ms. IX saeculi transcripti sunt, et quamvis dici non possit illos esse originarios, tamen admittere oportet ms. originalem multa non gaudere antiquitate.

Quoad *percussionem pectoris* observandum est, in nostra Missa semper coniunctam esse ad confessionem, explicitam vel implicitam peccatorum. Praecipitur sane ad *Confiteor*, ad *Nobis quoque peccatoribus*, ad *Agnus Dei*, et ad *Domine, non sum dignus*. Nunc si omnia documenta, etiam vetustiora, de peccatorum confessione loquuntur, quam Sacrificio prae-

mittere necesse est, confessione, quae profecto non est sacramentalis, nihil addunt de modo eiusmodi confessionis. Percussio pectoris igitur, cum peccatorum confessione coniuncta indicare debebat humilem protestationem propriae conditionis peccatoris ante Deum.

Haec exomologesis, antiquitus, bis reptenda erat; primo ante Sacrificium, cum Diaconus fratres iubebat, ut alterutrum se recognoscerent, quo intelligebatur, non modo, ut extraneus quisque recognitus arceretur, sed et siquis aliquid haberet adversus alterum, cum eo reconciliaretur. Secundo autem repetenda erat ante mysteriorum participationem. Locus nunc celebris Doctrinae Apostolorum (Διδαχή) utramque videtur respicere confessionem: " die dominica convenientes frangite panem et gratias agite postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum Sacrificium vestrum: omnis vero cui est controversia cum amico suo ne conveniat vobiscum donec reconciliati sunt, ne inquinetur Sacrificium vestrum „.

Cum autem Missa formam accepit, quam nunc prosequimur, prima confessio sub initio translata est, altera ante communionem permansit. Nescimus tamen, qualiter haec altera confessio fieri consueverit, seu quanam sub formula et ritu. Non erant profecto neque *Agnus Dei* neque *Domine, non sum dignus;* non *Agnus Dei*, haec enim invocatio a Papa Sergio I (687-701) inserta, cantabatur dum Presbyterium et Diaconi Episcopi intenti erant ad *fractionem panis*: " Statuit ut tempore confractionis dominici corporis: — Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis — a clero et a populo decantaretur (*L P. I, 376*). „ Nec cum pectoris percussione haberi poterat, saltem ex parte Ministrorum sacrorum. De *Domine, non sum dignus*, nullum indicium. Probabiliter tamen dicendum est, tempore succedente, has binas formulas, cum precibus quibus coniungebantur, locum excepisse illarum, quibuscum ab initio haec secunda exomologesis perficiebatur. Unde facillime iisdem adiici potuit

percussio pectoris, humilitatis et peccatorum confessionis indicium, cum optime conveniat tam invocationi divini Agni, qui tollit peccata mundi, quam protestationi indignitatis, ut Dominus sub tectum peccatoris veniat.

Restat ut de *Crucis signo* modo agamus. Antiqui Patres testantur Crucis signum apostolicam originem sibi vindicare. Tertullianus de illis traditionibus loquens, de quibus " si legem postules, scripturam nullam invenies „ nominat inter alias signum Crucis " ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensam, ad lumina, ad cubilia ad sedilia, quaecumque vos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus (*De cor. mil., III*). Attamen antiqui Christifideles, in se signando, non nostrum tenebant modum, a fronte videlicet ad pectus, et a scapula ad scapulam; ipsi parva tantum se signabant Cruce in fronte, fortasse iuxta illud Apocalypsis: " habentes signum eius scriptum in frontibus suis (*XIV, I*). Audivimus Tertullianum, alia conferamus testimonia. Canones Hippolyti, quae nisi ad illustrem pertineant virum sub cuius veniunt nomine, certo anteriores sunt saec. IV et ipsis Constitutionibus Apostolicis, dicunt (*n. 247*): " Signa *frontem tuam* signo crucis ad vicendum Satanam et ad gloriandum propter fidem tuam. „ In actibus S. Theodoti et septem Virginum, legimus, ipsos antequam pergerent ad martyrium: " perterriti crucis signum suae quisque fronti impressit (*Ruinart*). „ S. Ioannes Crysostomus " Fideles *frontem* illa (Cruce) communiunt, crucem in *frontem* circumferimus „. S. Hieronymus: " Ad omnem actum et ad omnem incessum manus pingat *frontem*. „ Prudentius notat Christianos se signasse in pectore cum ad cubadum irent (Cath. hym. VI, 129): " Fac quum vocante somno — Castum petis cubile — Frontem locumque cordis — Crucis figura signes. „ Hanc praxim a Prudentio descriptam nos ipsi sequimur ad *Completorium*, quod reipsa liturgica est oratio ante no-

cturnam quietem, dum ad verba: *Converte nos, Deus, salutaris noster*, parvam crucem effingimus ad cor.

Crucis signum etiam uno digito manus fieri solebat. Hodierna se Cruce signandi ratio ad saeculum videtur referendam esse VIII^{um} et probabiliter primi, qui eam introduxerunt videntur fuisse monachi (Pelliccia, *Poliz. eccl. T. IV, p. 191*).

Crux signabatur non modo super fideles, sed et super obiecta. Sozomenus, de quodam Donato Episcopo ait: " Signum Crucis digito aeri impressit (*H. E. VII, 27*) ". Epiphanius (*Haer. XXX*), de quodam Iosepho inquit: " Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit ". Sophronius (*Prat. Spirit. IX*) refert, Iulianum ter signasse suum Calicem *digito suo*. Alia suppeditantur testimonia a S. Ioanne Chrysostomo (*Hom. ad pop. Antioch. XL*) et a S. Hieronymo (*Ep. ad Eustoch.*). Signum Crucis, cito in Liturgiam introductum esse probatur, ac praesertim in Sacramentorum administratione. S. Augustinus (*Serm. CLXXXI. de Temp.*), inquit, per Crucis signum Corpus Domini consecrari, fontem baptismalem sanctificari, Presbyteros aliosque gradus initiari, ac universa, quae sanctificari debent, signo Crucis Domini, cum Christi nominis invocatione consecrari. Ita, iuxta illud testimonium, in Missae Liturgia, signum Crucis introductum videmus. Novimus ex Constitutionibus Apostolicis, Episcopum stantem ad Altare, *facto manu in fronte trophaeo Crucis*, Orationes incipere super Oblata, a Diaconis praesentata. Ordines Romani vero de Hostiae sanctae fractione loquentes, haec habent: " Accipit Pontifex sancta de patena, mordit ex ea particulam, et de ipsa facit *crucem super calicem* dicens secreto: Fiat commixtio et consecratio et reliqua..... Facit crucem super calicem, dicendo: Pax D.ni sit semper vobiscum, et osculatur Altare ".

Verum in mentem revocamus, Ordines Romanos Liturgiam IX saeculi referre.

II. Quo sensu accipienda veniant verba, quibus saepe in suis responsis utitur S. R. Tribunal, *Serventur Rubricae*, sicuti peculiariter in duobus primis super citatis Decretis?

De valore hic inquiritur illorum verborum *Serventur Rubricae*, quibuscum saepe S. Rituum Congregatio respondet dubiis, quae sibi proponuntur: Ut veram interpretationis rationem attingere possimus, distinguendum est: an aliquid Rubricae quoad casum propositum iam docuerint, et tunc significat, magis obvio illorum sensui debere se unumquemque conformari, aut peritorum interpretationi si obscure loquantur; vel nihil penitus habent, et hac responsione intelligi debet, nihil esse addendum. Namque alias, cum in Rubricarum silentio, S. Cong.tio opiniones peritorum S. Liturgiae vult admittere, respondere potius solet: consulantur probati auctores, aut similiter; et sane auctores, etsi probatissimi, nunquam constituere valent Rubricas, quas praecipiat S. Cong.tio esse servandas. Hoc generatim loquendo. Quod autem Decretum attinet n. **2682** ad 29, de quo in casu, en status quaestionis. Quaerebatur in una *Marsorum*, an sequenda esset Rubricarum expositorum opinio, qui " dicunt: post signum Crucis, quod fit in fine *Gloria in excelsis*, *Credo et Sanctus*, manus esse iungendas, etiam si nihil huiusmodi praescribant Rubricae „; et S. Cong.tio, die 12 Novembris 1831 respondit: *Serventur Rubricae*. Hic sermo est de Missa privata, Rubricae silent, sed obvia silentii est ratio; Sacerdos post praefata signa, aliam immediate debet ponere actionem, nempe manus hinc inde super Altare deponere ad illud osculandum; in duobus prioribus casibus, manum dexteram super Altari deponere, sinistram Missali admovere ad requirendum Canonem, ergo non debet manus coniugere. Diversus est casus Ministrorum in Missa solemni; hi enim, cum nullam aliam debeant ponere actionem profecto manus, post signum, coniungere debent, hoc est consuetam tenere normam. Alias quaesitum est: " An

Sacerdos post sumptionem pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem sacrae Hostiae ?„ Et S. Cong.tio respondit : *Serventur Rubricae* (24 Septemb. 1842, in *Neapolitana*. N. **2850** ad II).

Hoc quoque in casu Rubricae altum silentium de adoratione tenent : quid ergo ? Ex superius dictis, nihil agendum, praeter ea, quae a Rubrica praecipiunt, porro haec ait : " Sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita „ et immediate prosequitur : " Quibus sumptis, dicit secreto, etc. „. Ergo adorationi locus non datur. Ratio est quia cum idem sit Sacramentum, quod sub bina Specie sumitur, iam satis est semel adorasse. Ceterum videat Sacerdos, ut tanta actum compleat gravitate, quantam veneratio in tantum Sacramentum requirit, et adstantium poscit fovenda devotio. Unde reiicienda prorsus quorumdam auctorum opinio, quae potius iniuriam in auctoritatem inferre, quam obsequium in divinum mysterium ostendere valet.

Quod tertium tandem respicit Decretum, hoc dicendum: interrogata S. R. Cong.tio: " Utrum Diaconus et Subdiaconus (quando Patenam non sustinet) se conformare debeant celebranti *quotiescumque* hic caput inclinat vel seipsum signat ; an vero id tantum facere debeant quando Celebrans se signat aut caput inclinat, aliquid proferens voce non secreta ? Item : An ipsi teneantur pectus percutere simul cum Celebrante ad *Nobis quoque peccatoribus*, ad *Agnus Dei*, et demum ad *Domine, non sum dignus ?* — (**3535**) — respondit : Quoad primam partem, *negative* in omnibus ; quoad secundam : Teneri tantum ad *Agnus Dei* (Die 30 Decemb. 1881, in *Urgellen.*). „ Ita in Novissima Collectione. In antiqua (n. *5830*, ad 4) : Responsio ita se habebat : " Quoad primum *negative ;* quoad secundam... „ Verbis utriusque editionis inter se collatis, patet, differentiam non esse substantialem, et agi tantum de dictionis correctione, ut arceretur minus

apta locutio: *Quoad primum*, et *quoad secundam*, absque eo quod nominata fuerit *pars*.

Ex quibus infertur, Ministros non *debere* caput inclinare et se signare *quotiescumque* id agit Celebrans, *nec tantum* quando id praestat aliquid dicens *voce non secreta*, et *teneri* ad percutiendum pectus ad *Agnus* tantum, simul cum Celebrante, quia ad *Confiteor* non faciunt id cum Celebrante. Quibus verbis satis intelligi datur, immerito contra obiici posse, Rubricas non praecipere Ministris, ut se signent, caput inclinent, aut pectus percutiant cum Celebrante ad *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei* etc.; etenim ratio subest diversitatis pro variis casibus. Ministri conformari tenebuntur Celebranti quoties ipsi praescribitur, v. gr. ad *Gloria* etc., quia partes illas una cum Celebrante debent recitare. Alias, saltem ex consuetudine et convenientia, etsi non vi praecepti, cum ipsi chorales assistentes id agant, v. gr. ad verba: *In nomine Patris*, etc. *Adiutorium* etc., *Indulgentiam* etc. non tamen ad *Confiteor*, cum recitat Celebrans solus. Item ad *Introitum*, ad initium Evangelii a Celebrante praelecti, et ad alterum in fine Missae. Sed cum Celebrans secreto verba profert, et etiam *voce non secreta* (agitur de Missa solemni, in qua vix aliquid dici valet vere *secreto* — V. *Ephem.* ann. 1900, *pag. 172-174*), nulla omnino superest ratio, ob quam Ministri externos illos actus peragant, qui verbis ipsis coniunguntur.

Sed recentissime clarius se expressit apud S. C. magister caeremoniarum eiusdem *Urgellensis* Ecclesiae, cum dubium ita enunciavit: " An D. et S. teneantur se Celebranti conformare *quotiescumque* hic se signat vel inclinat, dum aliquid cantat vel clara voce profert, aut *submissa* in Missa solemni iuxta Rubricam, quod inquam non ad *secreta* pertinet; nempe ad *Confessionem*, ad *Introitum*, ad *Gloria*, et *Credo*, ad *Epistolam* et *Graduale*, *ad Evangelium*, ad *Sanctus* et *Benedictus*, excepto quando Celebrans recitat *Confiteor D*

et etiam excepto Subdiacono Patenam sustinente ad *Benedictus?*... „ Et S. Cong.tio respondit: " Ad V. *Affirmative* ad primam quaestionem... Die 29 Maii 1900 „.

Demum bene iubet Decretum, ad *Agnus Dei*, quod cum Celebrante dicunt, debere Ministros percutere sibi pectus, nullimode vero ad *Nobis quoque peccatoribus*, et ad *Domine, non sum dignus*, cum nec praeceptum Rubricae habeatur, nec probata suffragetur consuetudo in primo casu, et in altero, pro se tantum dicta verba Celebrans proferat.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio n. 3, p. 162)

(363) . . . . *et excepto festo primario* . . . . Cum prima hac vice vox *primarium*, uti adiectum alicui festo, occurrat in Rubricis, imo cum ante Rubricarum ultimam reformationem, anno 1898 peractam, nondum invecta fuerat, nostrum est quid significet, et quare in legibus liturgicis inducta fuerit, declarare.

Festorum multiplicatio in Calendario universali, et multo magis in Calendariis particularibus (1), ultimis hisce temporibus, in legibus occurrentiae nonnullas variationes produxit.

Quo magis enim saeculi impietas percrebuit, vel accidia orda christianorum invasit, eo magis, quasi titulo compensationis, festa sensim sine sensu multiplicata sunt. Quin recenseamus nova officia Sanctorum, qui ad Caelitum honores post S. Pium V et Urbanum VIII evecti sunt, satis sit in mentem revocare pia studia matris Ecclesiae, ut maxime festa Domini et B. Mariae Virginis ad devotionem fidelium excitandam, ultimis hisce annis inducta (2).

Ex hac ergo festorum multiplicatione, quorum plurima mobilia sunt, necessario ortum habuit conflictus cum aliis, una eademque die occurrentibus. Hinc leges inductae sunt ad distinguendam praecellentiam aliquorum festorum.

(1) Vide ex. gr. Calendarium Fratrum Minorum, et Dioecesanum Bononiense, in quo quatuor tantummodo habentur dies vacui!!!

(2) In subiecta tabella damus numerum festorum, quae in tota

Inter rationes huius praecellentiae, illa quoque inventa est, quam habent festa *primaria* super festa *secundaria*.

Haec distinctio etiam apud antiquos ignota non fuit; legas Guyetum, qui obiit anno 1664, et Meratum, qui decessit anno 1744. Primus *(Heortologia, lib. 1, c. 8)*, ait: " Quoniam „ praeter *primarium* (Patronorum) festum, contingit non raro, „ alia festa de iisdem Sanctis celebrari,.... iuvat de festis illis „ *secundariis* pertractare „.

Alter vero *(Rubr. Brev. sect. 3, c. 9, n. 3)*, scribit: " Si „ sermo sit de festis *secundariis* concurrentibus vel occur- „ rentibus cum festis *primariis* etc. „.

Progressu vero temporum Scriptores liturgici, hisce vocibus pluries usi sunt; sint pro omnibus A Carpo *(p. 2. c. 10, n. 2)*. et de Herdt *(p. 4, n. 267, 4 Reg.)*.

Sed et S. R.. C. pluribus in Decretis suis has voces usurpavit, ex. gr. in Decreto 11 Maii 1743, n. 4143 antiquae Col-

Ecclesia celebrabantur et celebrantur, a tempore S. Pii V usque ad nos. Inter semiduplicia non adnumeratae sunt Dominicae.

FESTA	SUB Pio V. 1568	SUB Clemente X. 1672	SUB Pio VII. 1800	SUB Leone XIII. 1902
Duplicia 1. Classis	17	17	17	21
„ 2. Classis	17	21	24	27
„ Maiora	—	14	20	24
„ Minora	51	59	107	131
Semiduplicia	56	92	96	90
In Totum	141	203	264	293

Ex quo patet festa duplicata fuisse.

ctionis ad 5, respondit: *Primaria festa S. Io. Bapt. et Ss. Ap. Petri et Pauli, attentis rationibus per P. Merati allatis... excludunt alia festa in ipsis occurrentibus, excepta solemnitate Corporis Christi.* Item in Decreto 26 Ianuarii 1793. n. 4448 antiq. Coll. ad 19, in quo ordinatur: Concurrentibus festis Patrocinii S. Ioseph et Apparitionis S. Iacobi Ap. cum aliis festis *primariis* eiusdem ritus, licet inferioris dignitatis, Vesperas persolvendas esse de festis *secundariis.*

Alio Decreto *Orbis,* diei 3 Aprilis 1821, n. 4579, antiq. Coll. ad 1, respondit: *Primaria* festa S. Ioan. Baptistae et Ss. Ap. Petri et Pauli praeferri festo SS. Cordis Iesu, ubi ritu I classis celebratur, utpote *festum Domini secundarium.* Si lubet videnda sunt etiam Decreta 1 Septembris 1838, n. 4862 ad 4; 3 Augusti 1839, n. 4859 ad 12; 22 Maii 1841, n. 4921 ad 1; 16 Aprilis 1853, n. 5183, dub. 2 et alia plurima, ex quibus probe evincitur S. R. Congregationem iam ab anno 1743 suam fecisse distinctionem inter primaria et secundaria festa.

Neque dicas haec omnia citata Decreta, in nuperrima editione, expuncta fuisse, quia leguntur in antiqua, ubi stant ad probandum a S. R. C. vocum *primarii* et *secundarii* usum fuisse acceptum.

Cum autem, iis non obstantibus, inter liturgicos scriptores, adhuc quaestio agitaretur, num scilicet primaria festa Sanctorum praecedentiam haberent supra festa secundaria Domini et B. M. V. in paritate ritus, eadem S. R. C. in hac doctorum dissidentia, die 10 Maii 1878, ad quaesitum: *Nullam in casu dandam esse responsionem* censuit, *antequam generalis quaestio super occurrentiam et concurrentiam festorum omni ex parte definiatur.*

Duobus post lustris, scilicet anno 1888, votum, uti dicitur, *ex officio,* ad S. R. C. delatum fuit, in quo probare contendebat, Consultor, non esse accipiendam distinctionem inter primaria et recundaria festa. Nos autem, tunc Romam

petiti, ad obsequium filiale praestandum Pontifici Summo Leoni XIII, in suo Iubilaeo, audivimus de illo voto, contra quod dissertationem confecimus, quae in Ephemeridibus Liturgicis illius anni (vol. 2, pag. 593-614), prodivit. In ea multis argumentis comprobare sategimus doctrinam, quae tenet: Festa primaria Sanctorum, praecedentiam habere super festa secundaria Domini et B. Mariae Virginis in paritate ritus.

Quamquam votum nostrum a S. R. C. exquisitum non fuisset, illi tamen oblatum est, uti asserit cl. Caprara in suo Suffragio super Decreto generali n. 3808. Vide vol. IV Decretor. pag. 377.

Quapropter tertium votum S. R. C. exquisivit, ab alio liturgico viro, qui sententiam nobis contrariam tuendam aggressus est.

Quae cum ita res essent, ex voluntate ipsius Pontificis, praedictus Augustinus Caprara, tunc Promotor Fidei, suum suffragium emisit (1) ex quo tandem S. R. C. celebre suum emisit Decretum, d. d. 17 Iunii 1893, n. 3808; et die 22 sequentis Augusti Catalogus prodiit festorum, quae uti primaria et secundaria retinenda sunt, sicque causa finita est.

Quid autem sibi velint hae voces *Primarium* et *Secundarium*, uti adiecta alicui festo, nunc est nobis declarandum.

Sancta mater Ecclesia, dum per anni circulum memoriam mysteriorum ineffabilis Redemptionis nostrae nobis exhibet recolendam, aut gloriam Virginis Deiparae, aliorumve Sanctorum celebrandam, pro diversitate excellentiae singulorum mysteriorum et dignitatis Sanctorum, festa quoque maioris vel minoris solemnitatis constituit.

Et merito; militans enim Ecclesia, in divini officii cele-

(1) Antequam suum suffragium vulgaret eximius et modestissimus vir, nobis humanissime misit, ut melius nostra sententia inibi confirmaretur.

bratione quotidie caelestem ac triumphantem aemulatur, iuxta illud Hymni admirabilis de Dedicatione:

Alto ex Olympi vertice
Summi Parentis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas decidens,
Domus supernae et infimae,
Utrumque iunxit angulum.
Sed illa sedes Caelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unicum
Iugi canore praedicat:
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli.

Ideoque sicut in caelis, docente Apostolo Paulo *(1. Corinth. 15, 41)*, *alia claritas solis, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate*, hierarchia in beatis mansionibus habetur; ita et in terris, diversa rituum ratione et solemnitate, festa Domini, Virginis Deiparae, aliorumque beatorum Caelituum celebrari ceperunt.

Certe prolixiores essemus si testimonia Patrum heic referre vellemus, quibus primaevae Ecclesiae usus comprobatur festivitates celebrandi diverso ritu ac solemnitate. Sufficiat meminisse homilias et sermones, qui in Breviario leguntur, in quibus luculentissime id demonstratur. (Cf. Guyetum, *lib. 1, Quaest. 12*).

Nihilominus usque ad saeculum decimum quintum festa, quoad ritum, dividebantur in duplicia, semiduplicia et simplicia. In emendatione S. Pii V accepta fuit distinctio duplicium primae classis, secundae classis, et duplicia per annum. Sub Clemente VIII, inductus est novus ordo duplicium maiorum, qui in recognitione Urbani VIII retentus fuit. (Cf. Gavantum, *sect. 3, c. 2, n. 3*).

Quo magis enim mysterium ab Ecclesia celebratum excellens est, eo honorificentius festum eius agitur. Et recte.

Sicut dignitas alicuius personae mensuratur a gradu honoris quo gaudet in societate, ita et in liturgia, dignitas festorum mensuratur ab excellentia et praestantia personarum quae honorantur.

Hinc exoritur ordo festorum iuxta dignitatem personarum, in Rubrica *(Tit. XI, n. 2)* et a S. R. C. *(22 Augusti 1711, n. 3841)* exhibitus, qui sequens est, nempe: 1. Festa Domini; 2. B. Virginis Mariae; 3. Angelorum; 4. S. Ioannis Baptistae; 5. S. Ioseph, B. M. sponsi; 6. Apostolorum et Evangelistarum; 7. Ceterorum Sanctorum atque Sanctarum.

Haec vero dignitas dicitur *intrinseca;* oritur enim ex intrinseca excellentia mysteriorum, aut personarum, qua aliae aliis praeponuntur; ita ut, ex hac prima dignitate intrinseca, festa Domini semper festis B. Mariae praeferenda sint; festa Virginis, festis Angelorum, et sic de ceteris iuxta ordinem.

Attamen habetur quoque alia dignitas, quae non mensuratur meritis seu excellentia obiectiva personarum, sed quadam alia praestantia *extrinseca,* quae ad nos magis attinet. Est velut alius ordo hierarchicus nobis proximus, quo fit, ut persona aliqua, dignitate *intrinseca* inferior, ob peculiares loci vel civitatis attinentias dignitate *extrinseca* aliis evadat superior. Sit exemplum: Patronus loci, quamquam unus sit ex Sanctis in ordine hierarchico inferioribus, nihilominus, ratione patronatus, illo in loco magis honoratur et colitur, quam digniores dignitate *intrinseca,* quando haec non sint ex privilegiatis, prout explicabimus.

Idem dicendum venit de Sanctis, quorum sacrae Reliquiae in Ecclesiis conduntur, testante enim beato Ambrosio *(Serm. 77): Cuncti Martyres devotissime percolendi sunt; sed ii a nobis praecipue venerandi, quorum Reliquias possidemus.* Isti ergo Sancti, pro nobis advocati constituuntur in caelis, atque ob eorum gratum patrocinium, nobis cariores et honorabiliores fiunt.

Huius *extrinsecae* nobilitatis duae species habentur; prima est diversitas ritus, nempe, duplex primae et secundae classis, duplex maius et minus, ac semiduplex. Ex hac prima specie extrinsecae nobilitatis, nonnulla Sanctorum festa, festis Virginis Deiparae, imo et Christi Domini, praeferuntur. Ita ex. gr. solemnitas Ss. Petri et Pauli ritu duplici primae classis celebratur, Transfiguratio vero D. N. I. C. ritu tantum duplici maiori recolitur. Item festum Sanctae Annae ritu duplici secundae classis decoratur, dum quamplurima festa eius Filiae Immaculatae, ritu duplici maiori excoluntur. Quare hoc? Quia dictae Sanctorum festivitates, etsi dignitate *intrinseca* inferiores censeantur, attamen nobilitate *extrinseca* superiores sunt ex Rubricarum et S. R. C. dispositionibus.

Secunda species huius *extrinsecae* nobilitatis est illud privilegium, quo aliquae potiuntur festivitates, adeo ut in quacumque occurrentia nunquam omittantur. Ex hac secunda extrinsecae nobilitatis specie provenit, quod festum S. Ioannis Baptistae occurrens simul cum festo Sacr. Cordis Iesu eiusdem ritus, huic praeferatur.

Quapropter evidentissime demonstratur, quod in commensuranda duorum festorum excellentia, non tantum dignitas *intrinseca*, sed et *extrinseca* nobilitas computari debeat.

Attamen, ratione huiusce extrinsecae nobilitatis factum est, ut plurima Sanctorum festa, non tantum in disparitate, sed etiam in paritate ritus, festis Domini et B. Mariae Virginis praeferantur. Siquidem in honorem Domini nostri I. C. et Matris suae, plurima per annum festa instituta sunt ab universa Ecclesia celebranda, et plurima alia aliquibus locis concessa; sed cum omnes istas festivitates non eodem honore prosequamur, ex illis aliquae dicuntur *primariae*, aliquae *secundariae*.

Primaria dicuntur festa Domini et B. Mariae Virginis, quae pro obiecto habent aliquod mysterium eorum vitae,

quod non continetur in alio ipsorum festo. Ita ex. gr. Nativitas, Epiphania, Ascensio, Transfiguratio D. N. I. C., Immaculata Conceptio, Annunciatio, Assumptio, Purificatio, Nativitas B. M. V., talia sunt mysteria inter se distincta, ut revera festivitates in eorum honore constitutae nil habeant commune cum aliis, nisi obiectum principale, scilicet persona Christi, vel Deiparae.

Ex adverso festa SS. Nominis et Pretiosissimi Sanguinis Iesu, S. Nominis Mariae eiusque Praesentationis, Maternitatis, Puritatis etc., mysterium exhibent excolendum, non undequaque distinctum, sed in aliis iam comprehensum, et ceteroquin multo minus celebre quam alia principaliora. Illa ergo festa dicta sunt *Primaria*, haec *Secundaria;* quia etiam a populo, uti patet, illa celebriora et magis honoranda existimantur, haec vero nonnisi secundi ordinis et minoris excellentiae reputantur.

Hinc est quod festa secundaria non habentur nisi de personis, quae duo vel plura habent festa per annum, sicilicet D. N. Iesus Christus, Maria SS. S. Michaël, S. Ioannes uti sunt: S. Ioseph, Ss. Petrus et Petrus, S. Stephanus Protomortyr, et S. Franciscus Assisiensis; de aliis enim Sanctis unum tantum festum habentibus, festum ipsum primarium ex natura rei, dicitur et est.

(364) .... *excepto festo primario solemni occurrente in festo SS. Cordis Iesu.* Scilicet, quodcumque festum *solemne*, quod in hoc casu intelligitur ritus primae classis, licet alicuius Sancti, dummodo sit primarium, nempe dies natalitia, si occurrat eadem die, praefertur Ss. Cordis Iesu, quia hoc, etsi dignius sit dignitate personali seu intrinseca, minus est dignum nobilitate extrinseca, nempe est secundarium.

(365) *Si autem festum Purificationis B. Mariae Virginis venerit in aliqua Dominica secundae classis, transfertur in*

feriam secundam sequentem, quamvis impeditam. Antequam festa Immaculatae Conceptionis et Annunciationis B. Mariae Virginis ad ritum primae classis elevarentur, haec duo festa simul cum Purificatione hic legebantur, gaudebant enim iisdem iuribus: nunc autem haec sola remansit Purificatio, quae si occurrat in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, quae sunt secundae classis, transfertur in secundam feriam sequentem, quamvis impeditam. Impeditam scilicet ab alio festo novem lectionum, dummodo non sit altioris ritus, uti legitur in Rubrica speciali eiusdem festi, quae sic se habet, et hanc Rubricam melius explicat: *Si hoc festum* Purificationis *inciderit in aliquam Dominicam privilegiatam, transfertur in feriam secundam sequentem, tamquam in sedem propriam, translato quocumque festo duplici ex maioribus, aut alicuius Doctoris Ecclesiae, etiam aequalis, non tamen altioris ritus.*

Hinc si alicubi celebretur ex. gr. die 3 Februarii festum S. Blasii Ep. M. sub ritu duplicis II classis, Purificatio agitur ea die 3. *tamquam in die propria*, et S. Blasius transfertur.

(366) *Item si festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem cum commemoratione Octavae.* Scilicet celebratur die 25, ut in sede propria; ita enim intelligendus est hic locus Rubricarum, qui post recognitionem Urbani VIII, ad nos usque immutatus pervenit, licet revera reformatione aliqua nunc indigeat. Parum tamen id refert, cum progressu temporum pluries immutata est Rubrica specialis ante diem 24 Iunii, maxime post Decretum 23 Iulii 1736, n. 4044 ad 9, quae hodie sic se habet: " Si sequenti die 24 occurrerit solemnitas SS. Corporis Christi, agendum erit de praedicta solemnitate: festum vero S. Ioannis Baptistae tunc reponatur in diem 25, tamquam in sedem propriam, translato alio festo duplici, si alicubi occurrat, post octavam, aut penitus omisso,

iuxta Rubricas; sed si fuerit I vel II classis, transfertur in primam diem officio duplici non impeditam infra eamdem octavam „. De qua speciali Rubrica hoc nobis adnotandum venit.

Antequam festum S. Gulielmi Ab. ad universalem Ecclesiam extenderetur, verba huius Rubricae: *translato alio festo si alicubi occurrat....* suum sensum habebant. quia reapse dies 25 Iunii in Calendario universali vacua erat, ideoque recte Rubrica haec dicebat, *translato alio festo* si alicubi *occurrat*. Postquam vero Pius VI, anno 1785, praecepit festum fieri ubique terrarum S. Gulielmi ritu duplici, verba illa.... *si alicubi occurrat,* non amplius locum habent. Rectius porro haec specialis Rubrica sic corrigi posset:.... *penitus omisso officio S. Gulielmi, aut translato post octavam, si alicubi celebretur ritu maiori.*

Ceterum, quidquid sit de hac locutione, ex hoc loco Rubricarum, cum Rubrica speciali collato, clare patet quid sit agendum de festo S. Ioannis Baptistae, quando ea die occurrat solemnitas Corporis Christi. Fit enim de praedicta solemnitate, et de S Ioanne agitur ante annum 1893 agebatur officium sequenti die 25, remoto alio duplici tam I quam II classis (1), quod celebrabatur infra octavam, si dies aliqua vacua haberetur, quia octava Corporis Christi admittit, de translatis officiis, tantum officia classica. Nunc vero post generale Decretum 27 Iunii 1893 n. 3807 Officium S. Ioannis agitur quidem die 25, nisi tamen occurrat aliud festum primarium primae classis; quo in casu die 26 celebratur, remoto etiam alio duplici maiori, quod post

(1) Hoc porro privilegio ditata erat solemnitas S. Ioannis, ut de eo celebraretur officium in crastino, quando occurrebat in festo Corporis Christi, non tantum ob praestantiam et antiquitatem festi Praecursoris, sed etiam, notabant Rubricistae (A Carpo, P. 4, c. 7, n. 119), ut sic sua die 24, in qua revera natus est, commemorationem saltem in Vesperis obtineret.

octavam transferendum erit, et penitus eo anno omisso S. Gulielmo, aut ss. Ioannis et Pauli officio, vel alio duplici minori, ut Romae fit de Sancto Gallicano.

(367) ..... *et in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio S. Ioannis.* Ita iam legebatur in Rubricis Urbani VIII; tunc enim ponebantur ad indicandum, quod secundae Vesperae Corporis Christi dimidiandae non erant, sed integrae de solemnitate ipsa dicendae cum commemoratione S. Ioannis. Nunc vero indicant quoque agendam non esse nisi hanc Praecursoris memoriam, nil autem de S. Gulielmo, cuius officium eo anno in casu omittitur.

(368) ..... *sequentibus autem diebus fit officium de eadem octava Corporis Christi cum commemoratione octavae S. Ioannis....* Siquidem occurrentibus simul duabus octavis, officium agitur de octava nobiliori cum commemoratione minus dignae. De hoc vide quae disseruimus in nota 198, ad tit. 7, n. 3.

(369) *Dies autem octava S. Ioannis, tunc veniens in die octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei octavae Corporis Christi.* Dies enim octava, etsi transferatur festum eius, non transfertur, ut infra dicetur. Hic locus Rubricarum item nulla passus est emendatione, et ita legitur in editione S. Pii V; inquiri ergo potest, cur hodie adhuc praecipiatur de octava S. Ioannis commemorationem fieri *in utrisque Vesperis.* Ratio dubitandi cuique facile apparet. Hodie feria VI post octavam Corporis Christi agitur sub ritu duplici primae classis, festum Sacr. Cordis Iesu, ut in S. R. C. Decreto. n. 3712; sed cum ex voluntate eiusdem S. Congregationis in eius *concurrentia cum die octava Corporis Christi, Vesperae integrae fiunt de eadem octava, sine ulla commemo-*

ratione, haec Vesperae eruntne ritus primae classis? Aliis verbis: quoniam huiusmndi non sunt primae Vesperae Sacratissimi Cordis Iesu, sed secundae diei octavae, quae ritu gaudet tantum duplici, quomodo erunt ordinandae commemorationes in casu? Si hunc locum Rubricarum inspicimur. in quo praescribitur commemorationem diei octavae S. Ioannis ad modum simplicis redactae, *in utrisque Vesperis,* videtur secundas Vesperas octavae Corporis Christi revera esse ritus tantumu duplicis.

Nihilominus alio Decreto suo, die 20 Maii 1890, n. 3731 ad 2, S. R. C. declaravit in hisce Vesperis agendam non esse commemorationem duplicis ad modum simplicis redacti, in eadem die octava occurrentis; ergo, licet hae sint secundae Vesperae octavae Corporis Christi quoad antiphonas, etc., quoad vero ritum, sunt primae Vesperae Sacr. Cordis Iesu, ac propterea ritu gaudent duplici primae classis.

Suppone casum. In civitate A. die 30 Iunii celebratur solemniter Translatio S. Sabini Mart. ritu duplici primae classis, prout eodem ritu agunt die 5 Decembris Fratres S. Ioannis de Deo, Translationem eorum Fundatoris. Ibi perpetuo de die octava S. Ioannis Baptistae fit tantum commemoratio. Quando autem festum Corporis Christi incidit in diem 24 Iunii, necessario eius dies octava accidit eadem die 1 Iulii; hinc in civitate A. cum de duobus diebus octavis ad ritum simplicem redactis facienda sit commemoratio, ita ordinabitur calendarium illius anni in principio mensis Iulii.

(Continuabitur).

Doct. Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 3, pag. 163-172).

(16) Licet Instructio, n. 5, Ostensorium requirat radiis circumfulgens, licet probetur in Ecclesia usus radiis sacras redimire imagines, ad ostendendam Dei et Sanctorum gloriam, nihilominus ne immediate circa sacrosanctum Christi Corpus artificia ulla adhibeantur, districte prohibetur; huic enim praecellenti *fidei mysterio* nihil omnino sensibilis immisceri debet, quod oculis corporeis subiiciatur. Idem rursus a S. Rituum Congregatione damnatum fuit, die 31 Martii 1821, per sequens generale Decretum, n. **2613**-*4578*, ad 5: " An liceat in expositione SS. Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica Sphaerae, ut recte illuceat in ipsam sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat? — Ad 5: " *Negative;* et servetur Instructio etc. „

(17) Quod hoc sub numero edicitur, de cereorum pondere, deque eorum dispositione super Altari, nonnisi tamquam directiva norma, ut probatur ex praxi Ecclesiarum Urbis, habendum est, si excipias verba, quae ad locum sex candelarum referuntur, quae hinc inde a Cruce collocari debent, et ad quatuor, quae a lateribus Ostensorii praecipiuntur

apponi, in maius erga Sacramentum obsequium, quae imo, ut propius extent, affigi possunt hinc inde super cornocopiis eidem Throno (S. R. C., 12 Iul. 1892, *Romana*, **3780** ad IV).

Luminibus tamen cereis a lege requisitis substitui nequeunt, neque ex parte, lumina ex oleo (S. R. C., 27 Iun. 1868, in una *Sanctim. perpet. Ador.*, **3173**-*5398*), et quamvis hoc olim dictum intelligeretur pro tempore quo Ecclesia reserata manebat, prout n. 14 dictum est, et n. seq. dicemus, nunc, data facultate numerum cereorum reducendi, in suo rigore accipiendum est.

Duo candelabra cum cereis, solemnitatis, ut putamus, indicium, prout in praecipuis Ecclesiis videre est, in plano Presbytérii non longe ab extremis graduum angulis, apponi solita, etiam in solemni hac expositione requiruntur, non tamen, ut notavimus, ex rigoroso praecepto: alicubi parieti affiguntur, brachiorum instar; alibi vero permultis instruuntur cornucopiis candelas sustinentibus.

(18) In authentica Decretorum Collectione, desiderantur haec verba: *dei quali ve ne siano almeno dieci di cera*, quae legebantur in antiquis editionibus Instructionis. Videretur hoc ex typographorum mendo accidisse, qui, decepti verborum similitudine: *serrata la Chiesa*, et: *e per la Chiesa*, intermedia transilire potuerunt verba; quidquid tamen sit de rei causa, textus authenticus retinendus est prout retulimus, sicut in ipsa S. Rit. Cong.nis Secretaria certiores facti sumus ; etsi enim verba illa olim habenda fuerint tamquam legitima, quippe quae ita ab initio prodierunt, cum viginti semper, iuxta Instructionem, lumina requirerentur; tamen hodie, *duodenario* cereorum numero permisso, non amplius Ecclesiae menti respondent, ideoque iuxta " *Circolare* „ nomine Papae pubblicatam, expungenda, tamquam saltem antiquata.

Hanc nactos occasionem aliquid nos innuere iuverit, de luminum qualitate, quae, praeter a lege requisitum nume-

rum cereorum,in Ecclesiis adhiberi valent. Nullam aliam materiam ad cultum admisit Ecclesia, nisi ceram apum et oleum olivarum. Verum super Altari nonnisi ex cera lumina collocari possunt, prout S. Rit. Cong.tio, die 20 Iunii 1899 rescripsit, in *Romana*, n. **4035**, ad VI: " Permitti ne possunt in Ecclesiis lumina ex oleo, quae mensae Altaris imminent et ardent etiam tempore Sacrificii? — *Negative*. „ Quae S. Cong.tio item pro candelis ex " cera stearica vel ex alia materia purificata, similitudinem cerae praeferente, exceptis tamen illis, quae sunt in gradu Altaris et immediate ante baldachinum in quo est expositum SS. Sacramentum „, die 4 Septembris 1875, in *Policastren.*, n. **3376**-*5636*, ad III, respondit: " Dentur Decreta „; scilicet: " Consulantur Rubricae „ et " Nihil innovetur „. Ac tandem pro Dioecesi *Carolinopolitana*, die 10 Decemb. 1857, n. **3063**-*5255*, Summus Pont. iussit, ut " inductos abusus adhibendi candelas ex sevo eliminetur. „ Sed praestat et Decretum n. **3121**-*5331* sub oculis habere *(9-14 Iul. 1864)*, quo statuitur: " Generatim (pro nutrienda lampade ante SS. Sacramentum) utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequit, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit, vegetabilibus „. Circa lucem ex *gaz* excitatam, anno 1879, die 8 Martii, a S. Rituum Congregatione latum fuit Decretum huius tenoris: " **Novarcen.** (Newark). — Usus invaluit in Dioecesi, Novarcensi, ut super Altaribus una cum candelis ex cera confectis lumina ex *gaz* accendantur, ad maiorem splendorem obtinendum. Dubitans porro hodiernus Episcopus Novarcen. utrum id liceat, a S. Rituum Cong.ne exquisivit: An super Altari, praeter candelas ex cera, tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio ex *gaz*, vel an usus praedictus prohiberi debeat? S. vero eadem Cong.tio, ad relationem subscripti Secretarii, eiusmodi Dubio rescribere censuit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 8 Martii

1879. — DOMINICUS Card. BARTOLINI, *Praef.* — PLACIDUS RALLI, *Secretar.* „ Sed utut in authentica Collectione non sit insertum, de illius tamen authentia non est dubitandum, cum ipsi in S. R. Cong.nis Regestis relatum viderimus. Quoad lucem, quam electricam vocant, ad dubium: " Utrum adhiberi possit in Ecclesiis? „ rescriptum fuit: " Ad cultum *Negative;* ad depellendas tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas, *Affirmative*; cauto tamen, ne modus speciem praeseferat theatralem (S. R. C., 4 Iun. 1895, n. **3859**). Unde concludendum, alium luminum instruendorum modum, quam cera aut oleo, servatis respective servandis, ad cultum esse prorsus ineptum.

" An tolerari possit usus cereorum fictorum ex metallo, in quibus machina quadam introducitur cereus? „ S. R. Congregatio (11 Maii 1878, in una *Soc. Iesu*, n. **3448**-*5728*) respondendum censuit: " Tolerari posse „. Ex quo Decreto iure inferri valet, posse permitti cereos fictos, ex ligno depicto aut alia materia, quibus in summitate applicetur pars verae cerae, ita ut nobiliori Altaris ornatui prospiciatur, et parsimoniae simul consulatur (*).

(19) Alias praecipit Instructio (n. 33): " Ecclesiae, in quibus instituetur XL horarum Oratio, vespere, donec aderit populus ad orandum, apertae manere debebunt „ quod erit: " circa horam tertiam noctis (a Salutatione angelica) aestivo, et circa quintam hiemali tempore „. De hora Ecclesiae mane aperiendae silet Instructio, sed ex fine expositionis facile deducitur summo mane id esse praestandum; Romae mos est quocumque anni tempore hora quinta, a medietate noctis, valvas, in casu, patefaciendi. Hinc *generale vetitum* ne SS.mum palam exponatur *antequam illucescat aurora*, et

(*) Quod candelas respicit cerae mixtae, nempe ex cera apum et ex aliis materiis, sub iudice lis est, nihil proinde hucusque certi concludi potest (Cf. *Ephem. Liturg.* ann. 1901, n. 6, pag. 379, et 1902, n. 3, pag. 194).

illud *tempore nocturno* reponatur (S. R. C., 27 Sept. 1864, in una *De Nicaragua*, n. **3124**-*5336*), exceptionem, pro nostro casu, patitur; ac insuper, ut per se patet, quod de *tempore serotino* dicitur in Instructione, retineri debet et de matutino, hiemali tempore. Quod alias expositiones attinet, de nocte habendas, S. R. C., die 17 Dec. 1875, in *Gadicen.*, n. **3384**-*5645*, rescripsit, ut Ordinarius " provideat pro suo arbitrio et prudentia „.

(20) " Fenestrae Altari expositionis vicinae „, et aliae quoque, si necessarium sit ad finem, de quo sanctio, assequendum. Verum caveatur, ne adeo locus obscuretur, ut confusionis inconveniens, quod superius deploratur, redeat, et preces legere cupientes sufficienti careant luce.

§ VII. Niun Secolare, benchè vestito di sacco di qualsivoglia Compagnia, ardisca di andare intorno all'Altare per aggiustare i lumi, o far altro che occorra; ma dovrà essere un Sacerdote o almeno un Chierico con cotta, con la quale sopra il proprio abito dovranno comparirvi anche li Regolari di qualsivoglia Religione: avvertendosi di più, che ogni persona di qualsivoglia condizione ed ordine, per Decreto della Sacra Congregazione dei Riti, Urbis, *19 Augusti 1651, ad 6 (num.* **937**), *avanti al SS.mo Sacramento esposto, accostandosi o partendosi da esso, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate.*

§ VII. Nullus laicus, etsi cuiusvis Societatis sacco vestitus, Altare circumire audeat ad lumina curanda, aut ad aliud munus obeundum; sed talis minister esse debet Sacerdos, aut saltem Clericus cum superpelliceo, quocum super propriam vestem Regulares etiam cuiuslibet Religionis accedant (21); notandum praeterea, ex Decreto S. R. C., *Urbis*, 19 Augusti 1651, ad 6 (n. **937**), a quibuscumque personis cuiusvis conditionis et ordinis, ante SS.mum Sacramentum palam expositum, in accessu et recessu faciendam esse flexo utroque genu reverentiam (22). Quod autem attinet Sacerdotem Mis-

In ordine poi alla persona del Sacerdote, il quale celebra la Messa privata, s'insinua esserci Decreto della medesima Sacra Congregazione, che mentre passa avanti all'Altare, in cui sta esposto il SS.mo Sacramento, dopo fatta l'adorazione colle ginocchia piegate e scoperto il capo alzandosi lo ricopra.

sam privatam celebrantem, sciendum, haberi eiusdem S. Congregationis Decretum, quo praescribitur, ut, transiens ante Altare, in quo expositum manet SS.mum Sacramentum, adorationem faciat flexis genibus et capite detecto, dein capite rursum cooperto surgat (23).

(21) De laicorum ac feminarum infra septa Presbyterii ingressu, dum Missae et alia divina officia celebrantur, sermo erit sub § XXVII Instructionis huius. Hic satis erit innuere vetitum esse, quin de feminis etiam Religiosis, seu Monialibus meminerimus, laicis etiam cuiuscumque Societatis confratribus talari habitu indutis, vulgo *sacco* vel *camice*, ad Altare accedere quamcumque ob causam, etiam Altaris curae gerendae. Coarctat Instructio eiusmodi ministerium ad *Sacerdotes* et *Clericos* inferiores. Verum hic dicendum, hodierna Ecclesiae disciplina inspecta, tolerandum esse, quemadmodum pro Missis aliisque divinis officiis, laicos Clericorum munere fungentes, habitu talari indutos ac superpelliceo ad Altare ministrare, ac proinde non esse interloquendum super Clericalis qualitatis defectum, dummodo clericalibus insignibus laici decorati eorum munera adimplere, quoad minora, cuiusmodi sunt illa de quibus loquimur, sciant et valeant. Hinc difficultas evanescit, alias excitata, de Regularium laicis, *Conversi* nuncupatis; qui proinde, prout et quilibet Societatem confratres, dummodo Clericalem distinctivum induant, talarem videlicet vestem, cuiuscumque demum sit coloris et formae, cum superpelliceo, sicut divinis *ministrare* possunt, sic ingredi valent Presbyterium, ad munus aliud *Clericis* inferioribus pertinens obeundum.

(*Continuabitur*). I. B. M. c. M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Navarra in Hispania.* **De Altaris portatilis execratione.** Quaeritur: Quaenam pars Altaris portatilis, separata a maiori parte, sit sufficiens ut ara reputetur execrata?

Resp. Ratione fracturae sacri lapidis, pars minor a maiori parte divisa tunc sufficit ut lapis sacer execratus habeatur, quando dicta pars minor, est notabilis: " ita ut, scribit De Herdt, continuationem, integritatem et substantialem (*sacer lapis*) unitatem amittat, etiamsi tenui tantum scissura laboret, quae per medium integrum lapidem decurrit. „ Insuper execratus reputandus lapis sacer, " si per fractionem divisa sit aliqua ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerunt adhibitae, subtiles candelae accensae, thus crematum, seu si pars fracta contineat unam ex lateralibus crucibus, ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis *(Trax. Lit. lib. I, n. 177, Resp. 1).* „

Primam doctrinae partem citatus auctor probat ex III, Decretalium, tit. 40, cap. III. *Quod in.* Notabilis autem pars, etsi minor, tunc censetur, ait Ferraris, iuri innixus, quando pars remanens, licet relative maior, non sit amplius apta continere calicem et patenam cum hostia (*Biblioth. ad verb. Altare, n. 29*). Quod ceterum per se patet, cum sacer lapis finem suum attingere nonnisi inconvenienter possit. Alteram partem probat ex Decreto (2777) **4828**, quod appositam fert Instructionem dicentem: " Altare vel immobile vel portatile evadit execratum ob fracturam, vel per se enormem ob quantitatem, *vel enormem ob locum unctionum,* licet *levis* in se fractura esset. „

Obiter hic notamus, dubitari nunc posse, an verum sit impraesenti quod cl. De Herdt subdit, videlicet: " Sicut altare perdit consecrationem per fracturam, sic etiam per abrasionem serra, ascia, aliisve instrumentis factam, prout Ecclesia, iuxta plures, eam amittit, quando omnis crusta simul absumitur, quamvis parietes non corruant (*loc. cit.*) ". Etenim ratio paritatis deficit; cum certum nunc sit, Ecclesiam, cuius opus tectorium in eius parietibus sit integre renovatum, consecratam remanerere (**3907**, *ad II*) Aliis verbis, ius praesens declarat, Ecclesiam non execrari, quamvis tota simul crusta disiecta fuerit (**3962** *ad I*) Ratio est, quia Ecclesia ad modum unius consecratur; quamvis ergo superficies, quae *materialiter* consecratur, deficiat, non deficit consecratio, quae integros *formaliter* afficit parietes. Iam nunc lapis nonne ad modum unius et ipse consecratur? Quid ergo interest, si superficies abradatur, in qua *materialiter* facta est consecratio, si tamen integer lapis maneat, quod *formaliter* per totum est consecratus? Si paritas ab Ecclesiae consecratione desumenda est, conclusio a cl. De Herd illata amplius stare non posse videtur, et potius dicendum esse veram conclusionem contrariam; quidquid sit tamen, rem in suo *statu quo* relinquimus.

II. *Ex eodem loco.* **De quadam Missa votiva in die Dominica, et de illius Orationibus.** In aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis celebratur Missa votiva de SS. Sacramento, omissa officii diei, in Dominica infra octavam Imm. Conceptionis, ad reparandam iniuriam aliquando Deo illatam: quaeritur: An ne talis Missa concessa sit? Et si affirmative, quot Orationes dici debent?

Resp. 1. Aut de generali concessione agitur, aut de particulari. Si de prima agitur, talem Missam concessam fuisse nusquam legimus; imo, cum de die Dominica agatur, in qua dicitur, ullam citra dubitationem respondere possumus et respondemus negative. Nullam enim votivae Missae generale

indultum pro diebus Dominicis S. R. C. concedere in more habuit habetque in praesenti; immo diebus Dominicis magis urget ratio prohibitionis Missarum votivarum, etsi ritus diei semiduplex esset, quam in quibusvis duplicibus. Hinc dictis diebus, neque privatae, neque cum cantu neque solemnes Missae votivae sunt permissae ex lege communi, et solum permittuntur pro aliqua vice quae solemnes sunt pro re gravi vel pro publica Ecclesiae causa. At Missa, de qua in casu, certe non est huiusmodi; sive quia dubium propositum dicit, eam celebrari, ut fortasse ne in cantu quidem sit, sive quia etsi in cantu, eam non posset Episcopus permittere, nisi pro aliqua vice, dum illa singulis annis cantari videtur in quavis Dominica infra dictam octavam, quasi ex consuetudine, quod non licet. Causa quidem, seu iniuriae Deo illatae reparatio, optima est, gravis etiam censeri potest, ut eam quandoque permittere possit Episcopus; sed legis generalis ordinarium implementum quid gravius constituit, cui adhaerendum est.

Si autem de particulari concessione agatur, tunc nescimus quid respondeamus; cum ipsemet cl. Consulens, satis quam nos, melius propositae petitioni satisfacere possit.

2. Facta hypothesi de dictae Missae indulto particulari, tali dioecesi concesso, de quo nil iudicare nos possumus, en responsio quod attinet Orationes. Certum est, Missas omnes vere votivas, haud exclusis solemnibus, sed tantum pro re gravi, vel saltem ad harum instar, ordinandas esse circa Orationes eodem modo. Modus autem est sequens: in iis dicendae sunt omnes Orationes praescriptae, sive quae ad Rubricas pertinent, sive quae pertinent ad officium diei, sive etiam quae spectant Ordinarii praeceptum. Omnes enim hae Missae uti privatae reputantur, sicuti Missae de requie, quae diebus non privilegiatis celebrantur, etsi cum cantu. Rubrica gen. Missalis praedicat: " In Missis votivis quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro

publica Ecclesiae causa, dicitur una tantum Oratio. . . In aliis (*sive ergo lectis, sive solemnibus quibuscumque*) dicuntur plures, ut in simplicibus (*Tit. IX, n. 14*). „ Numero autem 12 eiusdem Tituli dicitur: " In festis simplicibus... dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum. „

III. *Ex Urbe*. **De Concursu duorum dierum octavorum: quorum alter ad festum solemnius universale pertinet, alterum ad solemnius festum locale.** An concurrentibus die octava Imm. Deiparae Conceptionis et die octava Dedicationis Ecclesiae propriae, huic vel illi competant integrae Vesperae?

Resp. 1. Basim disceptationis praesentis ipsae Rubricae constituunt, quas proinde referendas et perpendendas esse nemo non videt. Prima Rubrica, quae magis videtur explicita, habetur in Notandis post concurrentiae tabellam, et sequens est: " In primis Vesperis diei octavae Ascensionis et Corporis Christi, *aliorumque festorum primariorum Domini*, totum officium fit de octava, cum commemoratione praecedentis festi duplicis, nisi fuerit... primae vel secundae classis (*num. 1*). „ Hac Rubrica posita, sequens, qua nil simplicius ac facilius, institui argumentatio posset: Primae Vesperae (idem de secundis teneas ob eadem Notanda num. 2) diei octavae festi primarii Domini integrae esse debent, nisi aliud festum concurrens sit primae aut saltem secundae classis; atqui Dedicatio Ecclesiae propriae est festum primarium Domini, et neque cum duplici primae vel secundae classis in casu concurrit, ergo dies octava Dedicationis Ecclesiae propriae integras Vesperas habere debet.

2. Nihilominus contrarium verum est, ex alia Rubrica de occurrentia, quae ait: " Duplex quodcumque, etiam *Patroni*, et *Tituli* Ecclesiae, vel *Dedicationis* eiusdem... occurrens... in festis *Immaculatae Conceptionis*, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. etc. transfertur, si transferri valeat,

aliter de eo fit commemoratio, vel penitus omittitur (*num. 1*). „ Quae verba significant, festa solemniora universalia esse omnibus aliis festis, etiam solemnioribus localibus, potiora, quibus proinde praeferenda sunt, etsi personali dignitate inferiora. Hinc exploratum est, dicta festa solemniora universalia primam categoriam festorum constituere, quae inter se quidem possunt quandoque occurrere, uti Corpus Domini et S. Ioannes Baptista, quo in casu praevalet festum nobilius; sed cum aliis quibuscumque occurrentia nunquam locum cedunt, sed semper celebrantur. Alteram autem categoriam constituunt festa solemniora localia, quae solis solemnioribus universalibus cedunt, sed nunquam aliis quibuscumque, licet superioris dignitatis. Quod non solum de festis verum est, sed etiam de relativa octava, equidem proportione facta; quia natura octavae a natura festi derivat, cuius est continuatio. Hinc dies octava festorum solemniorum universalis Ecclesiae nunquam, si cum die octava aliorum quorucumque festorum occurrant, locum cedit, sed semper praevalet. Haec quidem de occurrentia.

3. Nunc autem quid de concursu iudicandum, dictis diebus octavis festorum diversae categoriae sibi succedentibus? Num regula super concursu alia erit ab illa de occursu? Minime profecto. Sane, iam diximus et nemo ambigit, naturam diei octavae a relativi festi natura esse desumendam, cum dies octava sit eiusdem festi continuatio. Ponamus ergo concurrere primas Vesperas festi, ad primam categoriam pertinentis, cum secundis Vesperis festi alterius ad secundam pertinentis categoriam: ad quale ex duobus festis Vesperae integrae pertinebunt? Ipsum calendarium universale suppeditet exemplum: die septima Decembris, in Ecclesia S. Ambrosio dicata, habetur concursus dicti S. Ambrosii cum Imm. Conceptione, nempe secundae illius Vesperae concurrunt cum primis Immaculatae: de quo erunt integrae Vesperae? Nonne de Immaculata? Certo certius.

Neque dicas id tantum accidere ratione dignitatis Deiparae; nam si ponas, die nona Dec, agendum esse, in aliqua Ecclesia, Dedicationis propriae anniversarium, eadem comprobatur hypothesis: cum tamen nemo liturgicorum ambigat, hoc quoque in casu integras tribuendas esse Vesperas secundas festo Imm. Conceptionis, et solam commemorationem festo Dedicationis. Non est ergo ratio dignitatis personalis, quae dat alteri prae altero festo praelationem, sed praecise ratio praestantioris nobilitatis festi, quod ad primam pertinens categoriam alteri praefertur, quod pertinet ad secundam.

4. Hoc de concursu in Vesperis, tam primis quam secundis, dictorum festorum discussioni non subiacet. Quid autem de diebus octavis? Eadem profecto applicanda est norma; quia quando duo festa concurrunt in die propria, et concurrunt in die octava, naturam propriam mutare non possunt. Aliunde nequaquam intelligeretur ratio, ex qua in die festo Vesperae tribuendae forent uni, in die octava alteri. Etenim ratio nobilitatis festi, quae considerari debet, eadem est prorsus etiam in die octava; si ergo unum in festo praevalet, quare in die octava praevalere alterum debet? Quando inter se occurrunt duo festa eiusdem categoriae, uti Corpus Christi et S. Ioannes, huius festum transfertur in diem sequentem; sed dies octava utriusque, uti notum est, eadem die celebratur. Iam nunc festum Corporis Christi praevalet festo S. Ioannis in die sua, praevalet in die octava, praevalet in occursu, praevalet in concursu. Idque ratione dignitatis personalis, quia eiusdem categoriae sunt. Ergo, a fortiori festum Conceptionis Immaculatae festo Dedicationis Ecclesiae propriae praevaleret in die sua, si fieri posset ut simul occurrerent, cum diversae categoriae sint, praevaleret in octava, praevaleret in occursu, praevaleret in concursu non quidem ratione dignitatis personalis, sed ratione nobilitatis festi, cum ad diversam categoriam pertineant.

5. Ad primum ergo argumentum contra hanc conclusionem respondendum est, Rubricam allatam non esse in casu applicandam; quia illa respicit concursum inter diem octavam festorum primariorum Domini et alia duplicia: quae, ut dictis octavis diebus in concurso praevaleant, esse debent vel primae vel secundae classis. Casus vero noster respicit quidem ex una parte diem octavam festi primarii Domini; sed ex alia respicit aliam diem octavam, quae, quamvis uti duplex minus considerari possit, nihilominus nec primae nec secundae classis esse valet, et suis peculiaribus legibus dirigitur. Ex quo sequitur, argumentum praedictum nullius esse roboris, et non esse consequenter applicandum. Pergendum potius est ad Rubricam Generalem de octavis, ut videamus quid ea in casu disponat particulariter circa octavas dies inter se concurrentes. Aliunde *Notanda* post tabellas nil novi praeseferunt, cum aliud non sint, nisi Rubricae Generales compendifactae, et ex ipsis Rubricis Generalibus excerpta. Hinc ad fontem.

6. At, ni fallimur, omnimoda claritate ne ipsae quidem, ad casum nostrum quod attinet, fontis aquae videntur praeditae. Insistere ante omnia credimus in generali principio, quod ex Rubrica concurrentiae docemur, et sic se habet: " Si vero (*festa*) non sint eiusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubricis de commemorationibus et translatione festorum assignata: ut scilicet festa maiora habeant utrasque Vesperas integras cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet (*Tit. XI, n. 2*). „ Hoc est maximum et primum principium, cuius reliquae normae de concurrentia festorum nonnisi consectaria sunt; et apprime perpendendum est, ut aliqua, si forte inveniatur, obscuritas in legibus Rubricarum particularium dissipetur. Rubrica itaque relata discrimen ponit inter festa *maiora* et *minora*, ut statim ab ipso initio significent, festa potioris solemnitatis, uti in occursu ita in concursu, aliis minoris

solemnitatis esse praeferenda. Potior autem, festi solemnitas educitur: *a*) e ritu et classe; *b*) e nobilitate festi; *c*) e qualitate primarii vel secundarii; *d*) e dignitate personae, ut alia praetereamus, quae ad rem minus faciunt. Ex primo capite festum altioris ritus vel classis praefertur alteri minoris ritus aut classis. Ex secundo capite festum nobilius, nempe quod pertinet ad superiorem categoriam prae altero festo categoriae inferioris. E tertio capite festum primarium praefertur secundario. E quarto capite festum dignioris personae praefertur alteri minus dignae personae. Iam nunc habentur in casu duo festa ritu et classe paria, sicut et qualitate primarii, quae tamen differunt inter se quod categoriam attinet, seu quod idem est, quod spectat nobilitatem festi. Ergo nil valet personae dignitas, quia haec tantum vim habet in paritate categoriae seu nobilitatis festi.

Hoc omnino certum est et evidens, seu ex Rubricis, seu ex Decretis, quae illas explicant et declarant, seu ex ipsa calendariorum Redactorum praxi. Hoc ergo sensu et non alio Rubricae reliquae intelligendae sunt, seu de occursu, seu de concursu, nisi admittere velimus Rubricas minus cohaerentes esse sibi, quod nefas est.

7. Hisce positis, en Rubrica de octavis, quae ad rem peculiariter faceret, nisi explicanda foret, ut generali praefato principio cohaereat: " Ceteris vero non paribus, quando dies octava cum alia die octava concurrit, Vesperae integrae fiant de illa, quae est festi potioris ritus, aut primarii, aut dignioris ratione personae, cum commemoratione alterius (*Tit. XI, n. 7*) ". Ex quo sequeretur, die octava Imm. Conceptionis concurrente cum die octava Dedicationis, hanc, non illam, integras vindicare sibi Vesperas. Verum ubi in dicta Rubrica verba fiunt de potiori nobilitate festi? Nonne haec nobilitas festi praevalet dignitati personae? Nonne iam superius Rubrica dixerat, festum maius integras habere Vesperas prae minori? Nonne dies octava habet rationem

festi, uti reliqua festa, et melius quam alia plura? Quomodo haec Rubrica cum superiori concordat: " festa maiora habeant primas et secundas Vesperas, cum commemoratione minorum ?„

Si ponas die 30 Iunii celebrari Dedicationem Ecclesiae propriae et die praecedenti, festum SS. Petri et Pauli, quod proinde concurrat cum eadem Dedicatione, cuinam integras Vesperas tribues, nisi Apostolorum principum festo? Et quare, nisi quia nobilitas festi, ceteris paribus, praevalet dignitati personae? Deficiet ne haec ratio in die octava utriusque praefati festi, ut dignitas personae nobilitati festi praevaleat, et Vesperae integrae, esse debeant de Dedicatione? Quis sapiens et intelliget haec?

Qui ergo poterit admitti, Vesperas de Imm. Conceptione praevalere Vesperis de Dedicatione, vi nobilitatis festi, et easdem illas Vesperas amplius Vesperis eiusdem Dedicationis non praevalere in die octava, cum tamen eadem ratio deficere nequeat? Dicamus potius, ita praefatam Rubricam esse intelligendam, ut Vesperae integrae tribui debeant, in casu, diei octavae festi dignioris ratione personae, dummodo non adsit conflictus cum alia die octava festi, quod ratione suimet sit praestantius. Tunc haec Rubrica (*n. 7*) cum alia praecedenti (*n. 2*), optime cohaeret: tunc normae particulares cum generali principio optime conveniunt: tunc Rubricae, Decreta et praxis probata optime concordant.

8. Novissimum Collectionis Decretorum Indicem percurrimus, ut sententiam, quae omnino certa ex dictis apparet, confirmaremus, sed nullum invenimus, stricte loquentes. Nihilominus ex aliquibus Decretis dicta sententia, saltem ratiocinando, confirmari posse ex dicendis satis superque patebit. Nam, primo, Decretum antiquum ad dubium IX ferebat, S. Gabrielem Archangelum, etsi Patronum loci vel Ecclesiae Titulum, in concurrentia esse praeferendum

S.to Ioseph, almae Virginis Sponso. (*19 Martii*). Eiusmodi Dubium IX e dicto Decreto **3624** (5929) e nova Collectione expunctum iure merito fuit, nullumque aliud, aut simile existit, aut suffectum illi fuit. Hoc autem iam satis indicat festum dignius, non ratione dignitatis personalis, quae inferior ponitur, sed ex ipsa nobilitate festi, praeferendum esse alteri minus hac nobilitate praestanti, quamvis praestantiori dignitate personali, uti Rubricas praedicare superius vidimus. Sed et demonstravimus diem octavam nobilitatem festi participare; ergo si concurrens in die sua praeferendum est, deficit ratio, ex qua in die octava praeferri non debeat.

Sed praeterea alterum adest Decretum antiquum, quod in nova quoque Collectione relatum est, edicens, non esse faciendum de infra octavam Dedicationis Ecclesiae propriae infra octavam Omnium Sanctorum, sed de hoc, *utpote digniori*, celebrandum esse officium (*num.* **1922**-*3354, ad 1*). Hoc autem et occurrentiam respicit et concurrentiam, uti periti norunt, at ab eo probando dispensamur. Atqui festum, quod est dignius, profecto ex nobilitate ipsius festi, in die sua, seu quod occursum seu quod concursum attinet, et est dignius infra octavam, ut de altero quamvis personali dignitate digniori fieri nequeat, absurdum est ut dignius quoque non sit in die octava; ergo. Haec argumentandi ratio adeo certa est, nullique discussioni obnoxia, ut cuiuscumque instructae mentis assensum sibi vindicare necessario debeat.

9. Eadem sententia nullo negotio infertur ex Gen. recentiori Decreto *Anniversarii Dedicationis Ecclesiae* (n. **3881**), quo definitur: *a*) Dedicationem Ecclesiae esse festum Domini: *b*) Eius anniversarium praeferendum esse, tam in occursu quam in concursu, aliis solemnioribus in loco festis: *c*) " Eiusdem Dedicationis Ecclesiae anniversarium, occurrente vel *concurrente* cum festis solemnioribus universalis Ecclesiae, haec semper illis praevalere, *personali etiam dignitate*

posthabita, iuxta Rubricas „. Hinc manifesto sequitur. 1. Dedicationem per se, utpote festum Domini, solemnioribus in loco festis praevalentem, omnibus et quibuscumque festis praevalere, exceptis solemnioribus universalis Ecclesiae, tam in occursu quam in concursu. 2. Festa solemniora universalis Ecclesiae Dedicationi, aliisque festis in loco solemnioribus, tam in occursu quam in concursu, semper praevalere. 3. Rationem praelationis esse tantum nobilitatem ipsorum festorum, qua posita, dignitas personalis negligenda est: hoc autem ita constare ex Decretis, ut sit etiam non praeter, non supra, sed iuxta Rubricas. Atqui, ut pluries iam monuimus, ratio nobilitatis, sicut in festis, vim habet ita et in diebus octavis; ergo etiam dies octavi festorum solemniorum universalis Ecclesiae praelationem habent, tam in occursu quam in concursu, super omnia festa in loco solemniora et quidem iuxta Rubricas.

Hinc ad propositum dubium respondendum est: Concurrentibus die octava Immaculatae Deiparae Conceptionis et die octava Dedicationis Ecclesiae propriae, illi, non huic, competunt integrae Vesperae.

IX. *E Galliis.* **De tempore incipiendi Litanias post Benedictionem Fontis baptismalis.** Quaeritur: Quando post benedictionem fontis baptismalis incipi debeant Litaniae, cum codices liturgici inter se non videantur concordare.

Resp. Praemittimus, codices, Missale et Caeremoniale Episcoporum, de ordine incipiendi Litanias aliquid diversi statuere, ut utriusque Rubrica non idem praescribere videatur. Sed aliud est Missale, aliud est Caeremoniale Episcoporum; ut cohaerentia inter unius et alterius codicis Rubricas non sit necessaria, cum ordinario illud pro Sacerdotibus, istud pro episcopalibus functionibus inserviat. Si ergo aliquod inter easdem Rubricas intercedat discrimen, nulla incohaerentia est.

Caeremoniale dicit: " Si Episcopus id (*benedictionem fon-*

tis) praestiterit, eodem ordine redibit ad altare maius, ubi, deposito pluviali, cum mitra procumbit ante illud super faldistorio, et pariter omnes genuflectunt: et duo Cappellani... genuflexi... inchoabunt Litanias (*lib. II, cap. 27, n. 19*) „.

Hinc luce meridiana clarius esse patet, in episcopali benedictione fontis, Litanias esse inchoandas, processione absoluta. Hinc et De Herdt docet: " Litaniae, ut ex hoc loco patet, Episcopo praesente, tantum inchoandae sunt ad altare, Episcopo procumbente et omnibus genuflexis (*Prax. Pontif. loc. Caerem. citat. tit. 6.*) „.

Missalis vero Rubrica ait: " Deinde (*post benedictionem fontis*) *revertentibus* Sacerdote et Ministris ad altare, cantantur Litaniae a duobus cantoribus, et chorus idem simul repetit (*Sabb. Sanct. ante Litanias* „. Eapropter, citatus De Herdt, Missalis Rubricas commentans, scribit: " Completa benedictione fontis... ad altare eodem revertuntur ordine, quo venerunt. Litaniae sunt incipiendae dum a fonte discedunt, et prosequendae dum ad altare procedunt (*Prax. Liturg. in loc. cit.*) „.

Dicta confirmare videtur Decretum 3108 ad X, quod sic se habet: " An in Sabbato Sancto, post benedictionem fontis baptismalis, in actu redeundi ad altare, liceat incipere Litanias....? „ (*Resp.*). Ad X: " Episcopo non praesente, servetur Rubrica Missalis „. Adeo ut concludi posse videatur, iuxta doctrinam De Herdt, Episcopo praesente, Litanias ad altare, processione absoluta, Episcopo absente, incipiendas in redeundi actu a fonte ad altare.

Haec quidem, negotio et litera Rubricarum inspectis; placet nihilominus rem penitius considerare. *a*) Si rationem inspiciamus discriminis inter Rubricam Missalis et Caeremoniale Episcoporum in functione benedictionis fontis, respectu habito ad Episcopum praesentem et absentem, cogimur dicere, idem discrimen esse prorsus nullum. Et sane, si Episcopus benedictionem peragat, sive alius non Episcopus, ordo

functionis idem omnino est; sicut enim simplex Sacerdos sacerdotalibus, ita Episcopus episcopalibus vestibus indutus, benedictionem agit, atque inde ad altare processionaliter, alter Mitra, alter biréto coopertus, cum omnibus clericis redire debet. Idem dicas si Episcopus assistat tantum. Consequenter qualis sit ratio, ex qua aliud Rubrica Missalis, aliud Rubrica Caeremonialis, quoad tempus attinet incipiendi Litanias, disponere debeat, non intelligitur. *b*) Si ratio commodi ac dignitatis perpendi velit, potius dicendum foret, Litanias statim incipiendas fore in reditu ad altare pro Episcopo, quam pro simplici Sacerdote, ut breviori tempore prostratus maneat: dum e contra, ex lege, ea ratio non Episcopo faveret, sed simplici Sacerdoti. *c*) Unica fortasse ratio incipiendi Litanias statim post benedictum fontem esse posset longitudo viae in processione percurrendae, uti accidit in Lateranensi Basilica. Sed hoc nil probat, quia ibi Archipresbyter Cardinalis functionem peragit, ut Caeremonialis Rubrica clara sit atque explicita de Litaniis incipiendis, post processionis reditum ad altare. At nos inquirimus, quare ad altare, praesente Episcopo, in actu redeundi, absente Episcopo, Litaniae incipere debeant. *d*) Rubrica Caeremonialis nullam patitur interpretationem, quod nimis sit perspicua, eiusque vi Litaniae incipiendae sunt, citra controversiam, post absolutam processionem, et ad altare. Cumque ratio discriminis inter eam Rubricam et aliam Missalis, inveniri nequeat, quaerere liceat, an eadem, ac Caeremonialis, perspicuitate gaudeat Rubrica Missalis. Cui petitioni cum negative respondere cogamur, locus videtur dari posse interpretationi, ex qua Missalis Rubrica idem dicat ac altera Caeremonialis.

Hanc autem facultatem interpretandi suppeditat ipsum Caeremoniale, quod in titulo capitis XXVIII ait: " Sabbato Sancto, si Episcopus assistat, *vel absit*, omnia fiunt a Celebrante *prout in Missali* ". Ac postea in decursu Capitis Cae-

remoniale dicit, Litanias incipiendas ad altare post reditum processionis; ergo aliter, quam hoc sensu, non est intelligenda Rubrica Missalis. *e*) Reapse verba Rubricae Missalis sunt: " Deinde, revertentibus Sacerdote et Ministris ad altare, cantantur Litaniae. (*Post Benedict. Font. Sabb. Sanct.*) „. Nunc quaerimus: *ad revertentibus* potestne idem significare ac *reversis?* Pavonius pro nobis affirmative respondet; eiusque verba, quae et Martinucci latine traduxit ac retulit (*Lib. II, cap. 27, pag. 241-242 in nota*) et nos vertimus et referimus: " *ad revertentibus* causam aliquibus praebuit scribendi, dictas Litanias in reditu a fonte ad altare esse incipiendas. At Caeremoniale Episcoporum explicite ait, eas canendas esse postquam Celebrans cum aliis ad altare pervenerit ac genua flexerit, licet nec celebret nec assistat Episcopus. Id causa fuit ut alii scripserint, Litanias esse ad altare canendas (1) „.

Meratus principio innixus, quod statuit nosque retulimus n. XII (1), censet, in Ecclesiis Cathedralibus ante altare, in aliis per viam in reditu a fonte canendas esse. At nos citato numero iam monuimus, principium Merati tunc tantum esse probandum, cum discrimen inter Missalis et Caeremonialis Rubricas perspicuum; dum *ad revertentibus* optime eandem significationem suffert, ac si diceret: *postquam reversi sunt.* Si quis ex. gr. dicat: *mane ipse e domu egredior, meque in Ecclesiam confero celebraturus Missam postea revertens domum oro*, obvius ac naturalis horum verborum sensus haud est profecto, quod ille orat dum

(1) Locus ad rem, quem innuit Pavonius, dat normam tenendi quando Rubricae discrepant inter se. " Meratus, nempe, docet, quod si e duobus ritibus, alter habetur in Missali, alter in Caeremoniali non habetur, aut est in hoc obscurus, et viceversa, ritus expresse praescriptus praxim reducatur, non vero tacitus et obscurus „. (*Tom. I, pars 4, tit. 10, n. 20*) „. Quam normam si velimus sequi in casu nostro, Litaniae, uti patet, ad altare recitandae sunt, post reditum, et non in initio processionis.

ab Ecclesia domum redit, sed potius quod oret postquam reversus est domum. Quod si velit significare, se orare per viam tunc, dixerat : *in actu redeundi oro.* Obvius ergo ac naturalis praefatae Rubricae sensus est, ut Celebrans cum ministris, fonte benedicto, ad altare redeant, ibique Litania canant. Si autem sensus Rubricae Missalis iudicetur obscurus, Caeremoniale sequendum est, quod perspicue loquitur. Ita Casalerius (*Guida Liturg. part. II, Cap. XIII, n. 555 Nota* *)„. *f*) Adnotator Pavonius aliam addit animadversionem, praefatam Rubricae intelligentiam confirmantem, et sequentis tenoris est : " Satis recte animadvertit auctor noster cum verba *revertentibus Ministris*, quae adhibet Rubrica Missalis accipit ad significandum *postquam reversi sunt.* Ego enim demonstravi..... participia latina, quae in N. S. desinunt, affinitatem habere cum aoristis graecis, ideoque crebro sumi pro participiis praeteriti temporis. Ad cuius probationem multas attuli auctoritates., seu e Scriptura novi foederis deprompta, seu ex classicis Latinis, in quibus eiusmodi participia in eadem significatione accipiuntur „.

Suffragatur auctoritas iam laudati Cavalieri dicentis : " Cum itaque pro altari aperta adeo sit Caeremonialis dispositio, ut nullam congruam apta sit suscipere expositionem, dubio procul inchoandae ad altare in Cathedralibus, ad quarum directionem illud est editum (1) ut autem leges legimus concordemus, idipsum faciendum ducimus in aliis Ecclesiis, ubi *revertentibus* exponentes pro *reversis.* Neque nobis deest ratio in Missali ipso, quod Litanias, ubi fons baptismalis non est, dicendas esse mandat Celebrante et Ministris procumbentibus ante altare, ceterisque omnibus genu-

(1) Velim huic propositioni addas : " principaliter „ uti paulo superius addit idem Cavalerius : secus falsum esset quod tantus auctor asserit. Namque praecipue Caeremoniale de Cathedralibus Ecclesiis verum est, sed etiam pluries et saepe de Ecclesiis sed minus, Collegiatis verba facit, uti periti norunt.

flexis; quidni igitur praestandum idipsum erit etiam in Ecclesiis, ubi est fons baptismalis? Et praesertim quia quando primo loco dicit, quod *revertentibus Celebrante et ministris ad altare cantantur Litaniae a duobus clericis*, subdit: *et chorus idem simul repetit, ut dicitur infra*: infra autem dicitur, quod cantari debent Celebrante et ministris ut supra procumbentibus, et ceteris genuflexis, nec fortasse aliud eo verba indicant *et choriis idem simul repetit*, quae clerum in choro videntur supponere (*Tom. IV, Cap. XXI, n. IV*) „.

Iuxta praefatam doctrinam Falleret Meratus scribens: " Clara tamen est Rubrica Missalis praescribens ut (*Litaniae*) incipiantur ad fontem (*Part. IV, Tit. X, n. XLIII*). Cui nihilominus adversatur Gavantus dicens: " Hac vero (*Litaniae*) non inchoantur apud fontem, sed apud altare (*Loc. cit. Rubr. 30, Litt. c.*) „. Citatque ad rem pluries notatum Caeremonialis locum. Quidquid sit, consectarium ex dictis oritur, Rubricam Missalis certe non esse perspicuam.

Quid, hisce haud obstantibus, dicendum de superius relato Decreto 3108 ad X, quod manifesto videtur edicere, absente Episcopo, Litanias ad fontem incipiendas, ad altare vero praesente Episcopo? Ancipites haeremus; responderi tamen posset, neque eiusmodi Decretum adeo esse perspicuum. Quaeritur enim num *liceat incipere Litanias in actu redeundi:* quid clarius responso, *Affirmative, absente Episcopo, iuxta Rubricam Missalis?* Tunc pateret sensus obscurus eiusdem Rubricae, eiusque diversitas ab alia Caeremonialis. Sed responsum authenticum fuit: " Non praesente Episcopo, servendam Missalis Rubricam „. At si Rubricae Missalis talis detur interpretatio, quae idem dicat ac Rubrica Caeremonialis, uti potestatem faciumt, iam vidimus, ipsum Caeremoniale; idem Missale, optimae notae Scriptores, ipsaque ratio intrinseca, quid tu, amice lector iudicares? Nonne servaretur tunc Rubrica Missalis, imo et Caeremonialis?

Sit ergo finalis conclusio: Negotium satis est incertum, ut censeamus bene se agere qui in actu redeundi Litanias incipiunt, et eos fortasse etiam melius, qui nonnisi ad altare inchoant, dum abest Episcopus; nonnisi ad altare incipiendas, praesente Episcopo. Hoc quidem, donec maior lux fiat, si eam S. R. Cong.ni placeat in Rubricae Missalis sensum adeo controversum infundere.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro S. Michaele.* 1. Crux est ornamentum Altaris, imo praecipuum huius obiectum. Tempore Missae requiritur: extra Missam super eo semper manere potest, uti tempore solemnis expositionis Sacramenti. Discooperta esse debet et visibilis: cooperta tempore passionis. Quid ni et in Sacramenti Altari, quod a Sepulcro denominatur, dummodo velo, albo tamen, ratione expositionis, sit cooperta. Decreta, quae in contrarium afferuntur, ad rem non faciunt. Brevi, Crux in dicto Altari, nec praecipitur, nec prohibetur.

2. Ex eo quod Patribus Societatis Iesu liceat festum celebrare SS. Iesu Nominis in festo Circumcisionis pro Ecclesia eidem Nomini Romae dicata, non sequitur universis aliis Ecclesiis id licere, nisi consuetudo faveat: hoc docuimus an. 1900, pag. 652 et 653. Commemorationes pro suffragiis de officio Circumcisionis minus aptae videntur: aptiores quae sunt de officio SS. Nominis, ut hae adhibendae videantur, non illae.

3. In officio de Sacramento certe omittenda est commemoratio de Cruce: quid SS. Christi Cor, nisi pars ad totum Christi corpus pertinens? Si ergo in suffragii altera fiat,

alteram omittendam credimus. Posito ergo Sacro Corde Iesu titulari Ecclesiae, cuius facienda commemoratio in suffragiis, com. altera de Cruce omittenda erit, iuxta Decretum in *Romana,* **3844** ad V.

4. Si Ecclesia duos habet vel plures Titulares, quorum diversis sint dies natalitii alterius ab altero separatim festum liturgicum celebrandum est, sub eodemque ritu primae classis cum octava, si aeque principales sint.

II. *Pro Asculo Satriano.* Si concurrant simul festum S. Familiae vel Pretiosissimi Sanguinis et festum S. Blasii Martyris, Vesperae integrae erunt de sequenti, utpote festo primario, cum com. praecedentis, utpote secundarii, par est enim utriusque festi ritus, ut supponitur. Concurrentibus vero festo Inventionis S. Crucis et Translationis S. Ianuarii (dup. II cl.), integras Vesperas sibi vindicat festum praecedens, quod utrumque festum eiusdem sit ritus et secundarium, et per consequens vim possideat dignitas praecedentis, fit tamen com. sequentis.

III. *Budvicio Bohemorum.* 1. Nonne, *absolute loquendo,* in festo duplici Missa de vigilia occurrente *concedi potest,* quae et conventualis sit? Hoc, nil aliud dixerunt, et hac in hypothesi Ephemerides *(1900, pag. 505)* locutae sunt. Nil proinde in contrarium Decretum edicit in *Pragen.* d. d. 2 Maii 1900.

2. Decretum in *Goana,* n. **3804** ad VII hoc unum edicit, *decernendum ab Episcopo* an in aperitione, *magno cum pompae apparatu,* cursus scholastici liceat *Missa votiva solemnis de Spiritu Sancto,* celebrari solita, an non: insuper, non posse Episcopum *indulgere, ut in perpetuum haec Missa celebretur.* Ubi vides: *a*) nihil esse a S. R. C. decisum, an liceat, an non eiusmodi Missa: *b*) non constare an licita appellari queat, idque qua de causa, nempe, an ratione consuetudinis, an quia sit votiva solemnis *pro re gravi.* Ephemerides aliis Decretis innixae, censuerunt non posse eam appellari solemnem *pro*

re gravi, cum de causa publica non videtur agi, sicuti causa publica non est electio Abbatissae. Quid oppositionis inter opinionem Ephemeridum et praefatum Decretum?

IV. *Pro Neapoli.* 1. Nomen S. Michaelis Arch. in Oratione *A cunctis,* quando sit Titularis, semper exprimendum est, cum in illa aliunde iam non habeatur expressum. Ideo autem pro suffragio com. S. Michaelis in officio Ss. Angelorum votivo omittitur, iuxta Decretum **4006** ad VII, quia eadem iteraretur Oratio: quod in casu proposito comprobari non potest.

2. Decretum 14 Iunii 1901 ad 3 edicens, Responsorium XII sumendum esse de relativo Communi, ita intelligendum, ut accipiatur dictum Responsorium uti iacet, seu in numero singulari; aliter enim intelligi non potest, cum dicendi ratio magis non possit esse perspicua Quamvis, nihilominus, litera N supprimendam credamus in casu; quia nec alteruter e duobus Sanctis, nec ambo nominari possunt. Non alteruter, quia festum de duobus est: non ambo, quia totum fere Responsorium mutandum foret, utrumque autem inconveniens.

3. Quando festum S. Barnabae Ap. transfertur in diem 23 Iunii, et Secreta illius eadem est ac vigiliae S. Ioannis Baptistae, optime teneri potest A Carpo doctrina, ut mutetur Secreta pro Apostolo, et illa accipiatur, quae est de S. Mathia (24 Febr.); idque licet contra generalem normam, uti S. R. C. quondam disposuit.

4. Norma pro colore in Vesperis mutando innititur ratione congruitatis, non legi: hinc, data difficultate aliqua, nil obstat, ut alia norma teneatur in praxi.

5. Laus *Dio sia benedetto,* nil obstat ut in singulis benedictionibus, quae fiunt ad singula Altaria in processione Corporis Christi, vel infra eius octavam, semper iteretur, prouti fert communis praxis.

6. Hymnis S. Mariae Magdalenae, cum non sint histo-

rici, applicandam non credimus Rubricam (*Tit. 20, n. 3*). Hinc quare hymnus primarum Vesperarum, si dici hae nequeunt, dici debeat ad Matutinum, non videmus: fortasse quia brevior est iste; at quare silet Rubrica specialis, cum tamen notet, hymnum primarum Vesperarum ad secundas Vesperas, si locum habeant, iterandum? Consultius credimus, respondere: Serventur Rubricae.

7. Ex iure et recto sensu, qui Lectionem dicturus est, praemittere et ipse debet: *Iube, Domne,* uti patet. Si ergo Superior alicuius Communitatis Lectionem quoque ex necessitate legit, quae dignior non sit, non videmus qua ex causa alius pro eo debeat benedictionem petere, et ipsemet Lectionem recitaturus benedictionem dare. Usus non videtur probandus, sed Rubrica adimplenda.

V. *Pro Gallia.* Decretum **2319**, *Alia Dubia* ad 4, edicens pro duplici maiori sumendas Lectiones I Noct. de Communi, amplius attendi non debet, post Decretum **3926**: id quisque intelligit, cum ratio pateat.

VI. *Pro Republica Mexicana.* 1. Nulla lex vetat, quominus Vesperarum psalmi ita persolvantur in Ecclesiis, ut alterum cantu polyphonico, alterum versibus in cantu gregoriano moduletur Chorus.

2. In ecclesiis ubi servitium choralepraeceptivum non sit, tolerari potest Vesperarum psalmos ita alterne cani, ut alter a schola cantorum, alter e versibus sub organo recitetur. Ratio est, quia Vesperae integre dicuntur prouti leges liturgicae exigunt, quamvis diverso modo. Si vero officium chorale in praecepto sit, fieri id tantum potest, comitante organo, quando insufficiens sit choralium numerum *(Senogallien. 4 Mart. 1901 ad V: V. Animadv. sup. Dub. V cit. Decr. Senogallien. in num. Ephem. 6, an. 1901, pag. 351).*

3. Potest schola cantorum integras modulari Vesperas, Canonicis et Beneficiatis illas privatim recitantibus: certe id

fert usus Urbis, Basilicarum maxime, aliarumque plurium Ecclesiarum.

4. Sive gregorianus, sive polyphonicus cantus adhibeatur in Vesperis, addicti choro omnes versus psalmorum cantare tenentur, nisi schola cantorum illos moduletur.

VII. *Pro Albona.* 1. Verum reperivimus, antiqua Missalia Orationes relativas pro Missa habere de Ss. Sergio et Sociis: haud vero indicare eamdem Missam, quam tamen indicant recentes. Quid ergo, si usus antiquus aliam Missam ferat ab indicata diversam? Consultius est, et uniformitati respondens, Missam antiquam mutare in aliam a Missalium recentium editione indicatam: secus difficilius antiqua diceretur, quin alii sequi vellent recentem, iuxta Missalis Rubricam.

2. Missa de anniversario, quod debet et potest fieri in festo duplici, non satisfit per Missam de currenti festo, sed Missa de requie canenda est.

VIII. *Pro Carthagena.* 1. Post prandium Sabbati Sancti, in Ecclesiis parochialibus, etsi non adstrictis choro, ritus lex vetat Vesperas canere; quod si placeat, cantefur Completorium, at post illud benedictionem fideli populo imperti posse non credimus. Passionis enim mortisque Christ quamvis absoluta sunt mysteria, et iam sumus in solemnitate paschali, id est per solam anticipationem. Equidem Vesperae Sabbati Sancti sui generis sunt, et quasi Missae solemnis efformant partem; at, sicut qui Missae non assistunt, vel possunt vel debent eas separatim recitare, ita et in Ecclesiis non choralibus eas iure possunt cani, sed mane, non vespere.

2. Planetae decurtatae vel plicatae adhiberi possunt, vel etiam debent, diebus ieiuniorum (praeterquam in Vigiliis Sanctorum), Dominicis et feriis Adventus et Quadragesimae, excipiendis exceptis, iuxta Missalis Rubricam *(Tit. XIX, n. 1)*, idque ratione poenitentiae. At Missa votiva solemnis

pro pace, tempore XL Horarum, et pro defunctis, non sunt eiusmodi; ergo eas hisce in casibus adhibere non licet, essetque contra Rubricas.

IX. *Pro Anglia.* 1. Die 2 Nov. in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, consequenter et die 5 Octobris pro Capulatis Patribus, qui Com. solemnem celebrant omn. Fratr. Defunct. Ordinis, fieri non potest de dup. I classis, quod efficit ut dicta Comm. transferatur: neque de dup. II classis, quod esset transferendum; sed fieri potest *de die aliqua octava, aut de festo duplici maiori, minori, vel semiduplici, sicut de alio festo translato, cui in Calendario locus pro eo anno non suppetat.* Ita Decr. gen. **3864** ad 3. Quod quidem statutum est pro casu translationis Commemorationis in diem 3 Nov., sed idem, ex paritate rationis, intelligi posse credimus, si eadem Com. die sua celebretur. Ergo idem applicandum ad Com. omn. Confr. Ordinis Capulatorum.

2. Quando enunciatur festum duplex *minus*, absolute intelligi non potest duplex *maius*. Neque omnino verum est, id supponi in Decreto **3864** ad III, ubi satis superque distinguitur dup. maius a dup. minori, a semiduplici. et ab alio quocumque festo translato, puta dup. min. Doctoris Ecclesiae.

3. Concurrentibus festis, Deiparae sub titulo Auxilium Christianorum, et Translationis S. Francisci, integrae Vesperae faciendae sunt de praec. et com. sola de seq., cum ambo festa sint secundaria, et dignitas in Deipara praevaleat. Si quid contrarii peculiares Rubricae statuant, emendandae, et ad normam iuris vigentis reducendae.

4. Quod attinet Orationes in Missa Dominicae Septuagesimae, cum venerit ante Purificationem, servanda Rubrica Missalis, quae clarior esse non potest.

Quaestio Liturgica

NUM CADAVERA SACERDOTUM LICITE A SACERDOTIBUS DEFERRI AD SEPULCRUM POSSINT.

In civitate B. canonice erecta est Societas Sacerdotum, cuius finis est sociare ad sepulcrum multo cum decore Collegarum cadavera, eorumque animabus suffragia impendere, seu statim post mortem, seu in perpetuum. Auctoritas localis ecclesiastica et eamdem piam Societatem et eius regulas legitime approbavit. Sacerdotes confratres dicta cadavera comitantes superpelliceum super talarem vestem induunt et biretum. Inter praefatas regulas, peculiaris habetur super methodo in funeribus servanda, quae sic se habet: " Feretrum deferent Confratres, qui ultimo in Societate adscripti fuerunt inter praesentes. Non sinent ut ab aliis extraneis personis cadaver deferatur, nisi in casu necessitatis ".

Haec Societas ab anno 1680 usque in praesens fideliter hanc regulam servavit; sed nuper nonnulli ex Confratribus impugnare coeperunt huiusce dispositionis aequitatem: adeo ut sustineant, Sacerdotes praedictos cadavera Confratrum defunctorum ad coemeterium deferre amplius non posse, idque ob Decretum **3110** ad XV. Quid iudicandum? Licetne?

Resp. Gravioris momenti res est, quam et gravioribus, argumentis illustrare fas sit.

a) Animadvertere imprimis liceat, antiquissimam fuisse in Ecclesia consuetudinem, ut inter defunctos et eos, qui ad sepulcrum illos deferebant, maxima extaret relatio, vel societatis, vel consanguinitatis, vel dignitatis. Hinc notavit Martène (*De antiq. Eccles. Ritibus, Vol. II, Cap. XIV. n. 1*):

" Hoc autem in usu positum fuit, ut corpus parentis a filiis, cognatorum a consanguineis, imperatorum a principibus senatus ad tumulum deportaretur „. Refert autem singularia Anonymi Turonensis verba (*Ms. Specul. Ecclesiae*), dicentia: " Debet autem corpus perferri ad tumulum a consimilibus; ut si fuerit diaconus, a diaconis, si sacerdos, a sacerdotibus etc. (*loc. cit. in fin.*) „. Quod iam satis esse credimus, ut ostendatur, consuetudinem, ex qua Sacerdotes cadavera Sacerdotum ad tumulum deferunt, omni prorsus esse dignam laude.

b) Antiquitatis huiusce vestigium adhuc remanet in iis quae Caeremoniale Episcoporum disponit circa Episcopi dioecesani cadaver ad sepulcrum deferendum. Siquidem, non a laicis viris, cuiuscumque sint dignitatis, illud deferendum est, neque a clericis gradus inferioris, uti Beneficiati esse possent, sed ab ipsis Canonicis, quippe qui Episcopi senatum constituunt: " Feretrum autem portabitur per sacerdotes, cottis indutos (*Lib. III, Cap. 38, n. 24*). „ Neque opponas, hic agi de Episcopi, non de Sacerdotis cadavere, ut in casu nostro; quaestio enim versatur super actus convenientia, ac si indecens videatur, ut Sacerdos suis humeris cadaver portet. Id autem indecens est quidem, si de cadavere agatur laici, haud vero si de cadavere Episcopi aut Sacerdotis. Namque illud magis honorificum est, istud autem minus, sed honorificum utrumque.

c) Veritatem confirmat Rituale Romanum, quod vetat quidem, defuncti laici cadaver deferri a Clericis, sed de cadavere Sacerdotis a Sacerdotibus deferendum plane silet: " Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, Clerici non deferant, sed laici (*Tit. VI, Cap. 1, n. 16*) „. Quam profecto distinctionem non fecisset liturgicus codex, laici cadaver nominans, cadaver Sacerdotis silens, si non solum minus dignum censuisset ut laici, sed etiam Sacerdotis cadaver, a Sacerdote deferretur. Unde con-

cludendum, de laici cadavere non deferendo a Sacerdote Rituale fuisse loquutum, quia indecens iudicavit: de cadavere Sacerdotis per Sacerdotem deferendo tacuisse, quod nullam in eo actu indecentiam viderit. Siluit auem, ut consuetudo in locis relinqueretur, ne Clericis legem imponeret, quae ut plurimum, variis de causis, observari non posset.

d) Sed iam deveniendum ad Decretum **3110** ad XV, vi cuius nonnulli autumarunt, actum deferendi cadaveris Sacerdotis ad sepulcrum non esse licitum, quia prohibitum. En textus authenticus, uti in recenti Collectione prostat: " Ecclesiasticis, et praesertim Canonicis paratis, in associatione defuncti Sacerdotis, licet ne deferre eius feretrum; vel saltem deferre fimbriam panni mortuarii ? ". Responsio vero est: " Negative ". Quaerendum est autem in hoc Decreto obiectum vetiti, seu rei illicitae, cum duplici sensui responsio se facile praebeat. Agitur, scilicet, vel de Ecclesiasticis quibuscumque, maxime de Canonicis, vel de iisdem paratis, quibus sit vetitum cadavera Sacerdotum deferre. Dubium quaerit: an liceat Ecclesiasticis et praesertim Canonicis paratis cadavera Sacerdotum deferre. Si verbum *paratis* referatur ad Ecclesiasticos et praesertim ad Canonicos, responsio declarat, Ecclesiasticis et praesertim Canonicis, quando sacris paramentis sunt induti, non licere cadavera Sacerdotum deferre; ergo nulla datur prohibitio, si Ecclesiastici parati non sint. Si autem verbum *paratis* ad solos Canonicos referatur; tunc responsio decernit, non licere deferre cadavera Sacerdotum, neque Ecclesiasticis, sive sint sive non parati, neque Canonicis, paratis. Uter sensus est verus? Primus, indubie: alter a veritate alienus est. Hunc sensum reiicimus; quia sub Ecclesiasticorum nomine veniunt omnes et quicumque in sortem Domini vocati sunt; et hoc probatione non indiget, ut unicuique patet. Ergo nomen *Ecclesiastici*, in Decreto adhibitum, comprehendit Tonsuratos, aliosque minores Clericos, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdo-

tes et Episcopos, sive sint Canonici sive non, ipsum imo et a fortiori summum Pontificem. At si vetitum est. ex hoc sensu Decreti, omnibus Ecclesiasticis deferre cadavera Sacerdotum, inepte Decretum adderet et *praesertim Canonicis paratis.* Nam, cum omnibus Ecclesiasticis sit id prohibitum, sive paratis sive non paratis, ad quid repeteret Decretum id esse vetitum Canonicis, praesertim paratis, qui in illis includuntur? Quod si Decretum voluit significare, maiorem esse indecentiam sia Canonicis paratis cadavera deferantur, quam si deferuntur ab aliis quibuscumque Ecclesiasticis, neque id intelligitur. Etenim, re externa perpensa, quicumque Ecclesiastici, cum sacris sunt paramentis induti, puta dalmatica vel pluviali, casulam enim supponere nequimus, eamdem figuram repraesentant. Si autem dignitas consideretur, non est ratio, cur magis sit indecens Canonicis deferre Cadavera, quam aliis Praelatis, dignioribus, ipsisque Episcopis, quando sint propriis paramentis induti.

e) Altero reiecto sensu, qui falsus omnino est, manet primus sensus, sub quo citra dubium accipiendum est Decretum: quod proinde significat, vetitum esse omnibus Ecclesiasticis, et praesertim Canonicis, si sacris sint paramentis induti, Sacerdotum cadavera propriis humeris deferre, aut panni mortuarii deferre fimbrias. Ratio est, quia cadavera deferre non est Ecclesiasticorum, uti talium, officium; non ergo decet, ut sacris paramentis induantur. Haec enim functionibus quidem Ecclesiasticis inserviunt, sed unusquisque illa induere debet cum relativum munus obire tenetur; non ergo pro aliis functionibus, nec pro alio obeundo munere extraneo illis uti fas est. Cadavera ergo Sacerdotum Sacerdotes libere deferant, quod per nullum prohibetur Decretum; sed sacra paramenta non sumant, quod per praefatum Decretum est vetitum: hoc proinde illicitum, illud permissum, imo, uti superius demonstravimus, omni est laude dignum.

f) Quid vero de superpelliceo et bireto? Nullum du-

bium. quod ea indumenta liceant: superpelliceum enim non est ex sacris paramentis, sed indumentum cuiusque clerici proprium: ut pateat omnibus, clericum quemcumque liturgicae vel ecclesiasticae alicui functioni operam dare. Biretum autem capiti tegendo unice inservit, et in casu adhiberi optime quoque potest, cum civile non sit indumentum, sed eo clerici iure in sacris utantur. Sicut ergo laici in actu deferendi cadavera sacco utuntur et etiam caputio, quo caput ordinario sibi cooperiunt, ita et superpelliceo ac bireto meliori iure Sacerdotes uti possunt, quando aliorum Sacerdotum cadavera deferunt.

g) Quae hucusque exposuimus, auctoritas cl. De Herdt compleat, seu quod liceitatem actus pertinet, seu quod praedicti Decreti intelligentiam. Relatis Ritualis verbis, sic ait: " Licet deferre mortuos sit opus pietatis et misericordiae, est tamen simul actus servitutis, quem laicis a clericis praestari minus decet. Clericorum cadavera a clericis deferri possunt; laudabiliter tamen deferuntur a clericis eiusdem ordinis et qualitatis, cuius erat defunctus, vel ab inferioribus, si non per totam viam, saltem pro elatione e domo per aliquot passus, et iterum ad ingressum Ecclesiae, ut fraternae caritatis appareat exemplum. Clerici feretrum deferentes superpelliceo induti esse possunt; stola autem aliisve paramentis parati esse nequeunt *(Prax. Liturg. Tom. III, n. 245)* „. Hoc autem cl. Auctor probat ipsomet Decreto, quod superius retulimus: ut proinde exhibitus sensus sit citra controversiam verus et tenendus contra alium, quem iure respuimus. Consequenter ad propositum Dubium affirmative prorsus respondendum est.

CONSULTATIO LITURGICA

Utrum impeditum, festum habens octavam celebrari possit in die sua octava, etiamsi occurrat aliud festum classicum, aut Dominica 2 classis aut alia dies octava.

1. Sacerdos de provincia Aemiliae, legens in Ephemeride romana *Analecta Ecclesiastica*, anni 1901, pag. 407, dissertatio nemcuiusdam *Prudentii Severi* Presbyteri, nec non responsum ad quaesitum *E Curenna* in *Ephemeridibus Liturgicis* eiusdem anni pag. 572, nobis exquisivit, quid sentiamus de modo interpretandi decretum S. R. C. d. d. 23 Aprilis 1895 N. 3853, cum duae alioquin existimatissimae Ephemerides, non in unam sententiam abierint.

2. Res gravis est profecto, plusquam prima fronte appareat; eam ergo pertractandam suscipimus cum quadam latitudine.

En verba decreti N. 3853 - *Sacra Rituum Congregatio declarat: Festum duplex habens octavam, quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat transferendum esse in ipsam octavam diem, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud Festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius: quo in casu S. R. C. iubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas. Die 23 Aprilis 1895.*

3. Ut facilius et statim intelligantur quae a nobis dicenda sunt, sit exemplum.

In civitate Ferrariae, ubi S. Georgius martyr est patronus principalis, agitur eius festum ritu 1 classis cum octava; et ecce eius calendarium perpetuum:

Aprilis 23 S. Georgii Mart. Patroni princip. *dupl. 1 classis cum octava.*
„ 24 S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.* com. oct.
„ 25 S. Marci Evang. *dupl. 2 cl.*
„ 26 Appar. B. Mariae Virg. de Bono Consilio *dupl. mai.* com. oct.
„ 27 Ss. Cleti et Marcellini Pont. Mart. *semid.* (assign. ex heri) com. oct.
„ 28 S. Pauli a Cruce C. *dupl.* com. oct.
„ 29 S. Petri Mart. *dupl* com. oct.
„ 30 Octava S. Georgii M. *dupl. In ecclesia vero B* S. Catharinae Senen. Virg. Titularis *dupl. 1 clas.* com. diei oct. S. Georgii.

Itaque quando Pascha incidit in dies 16, 17, 18, 19, 20, 21, necessario S. Georgius occurrit infra hebdomadam paschalem, ac proinde transferri debet in primam diem liberam, iuxta Rubricas (Notandum 1 post Tabellam occurrentiae).

4. Quae sit dies libera cuique notum est; illa nempe in qua non occurrit *perpetuo* aliquod officium novem lectionum, vel *accidentaliter* aliqua dominica, aut feria maior. Clare patet, quod in exposito calendario perpetuo Ferrariensi nulla est dies libera infra octavam ipsius s. Georgii; ergo festum eius infra octavam celebrari non poterit. Adverte tamen, quod in die 30 Aprilis ponitur dies octava eiusdem sancti Patroni, ideoque quando festum eius celebratum non fuit, neque die sua 23 Aprilis, neque in aliquo ex diebus infra octavam, quomodo agetur dies eius octava? Quale ergo fiet officium in casu die 30 Aprilis? Non de S. Catharina Senensi, quae Ferrariae assignata est die 11 Maii, non de octava, quia festum S. Georgii adhuc celebratum non est; ergo Ferrariae libera quodammodo evadit dies 30 Aprilis; quod si vacua efficitur, bene potest in ea reponi festum S. Georgii, imo, debet, conclamantibus Rubricis, de festo translato fieri in prima die libera officium.

Aliis verbis, cum de die octava fieri nequeat, dies ipsa octava evadit dies festus, in casu, S. Georgii, propter pulcherrimam rationem quam nobis exhibet ipsa S. R. Congregatio. In suo enim decreto 2 Septembris 1741, n. 2365 ad 3 ita declaravit: " *Nec fiat mutatio (in hymno* Iste confessor) *quando officium festivum Sancti habentis octavam non ultra octavam transfertur; quia tota octava nihil aliud est quam extensio ipsius festi.* "

Itaque quando festum habens octavam neque sua die, neque infra octavam celebrari possit, recolitur in ipsa die octava, quae nihil aliud est quam extensio ipsius festi, et ideo adhuc in eius festo sumus.

5. Hoc docent Liturgici auctores; sit pro omnibus cl. De Herdt qui (*p. 4, n. 278*), scribit: " Si festum cum octava sit transferendum..... si dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum est aliis festis, ... Idem privilegium habet, non tantum in die infra octavam, sed etiam in ipsa die octava.... eo quod festum infra suam octavam reputandum sit tamquam in die propria. "

Duabus ergo de causis in die octava celebrandum est festum classicum sua die impeditum; 1° quia dies octava in casu evadit libera, ut nos diximus; 2° quia dies infra octavam, imo et dies ipsa octava, reputatur dies propria festi translati, ut declaravit S. R. C.

Hoc facillime ab omnibus intelligitur, et eadem S. R. C. suam sententiam confirmavit in allato decreto n. 3853, dicens: *Festum habens octavam quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat, et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam octavam diem.*

6. Ferrariae tamen, ut in exemplo proposito, adest ecclesia B. S. Catharinae Senensi dicata, cuius festum peragitur sua die natalitia 30 Aprilis, cum commemoratione diei

octavae S. Georgii civitatis Patroni. In hac porro ecclesia poteritne celebrari officium translatum ipsius S. Georgii eadem die 30?

Affirmative responsum est in solutione quaesitus *E Curenna*, ubi legitur: amovendum esse ex. g. festum S. Ambrosii titularis a sua die 7 Decembris, pro celebrando festo translato S. Andreae Ap., id arguendo ex dispositione decreti citati n. 3853. Sed hanc conclusionem nemo unquam admisit ex scriptoribus liturgicis, et De Herdt (*loco citato*) aperte docet: festum sua die impeditum celebrari debere *in ipsa die octava, si haec aliter non sit impedita*. Sed neque deduci potest huiusmodi conclusio ex littera et spiritu citati decreti.

7. Et reapse. Pro ecclesia B. civitatis Ferrariensis dies 30 Aprilis neque libera est in calendario perpetuo, est enim festum natalitium titularis S. Catharinae Senensis, neque libera evadit in casu, etiamsi nondum sit celebratum festum S. Georgii civitatis patroni. Si porro dies 30 Aprilis, quae est dies octava S. Georgii, pro ceteris Ferrariensibus ecclesiis dependet a festo ipsius, et est quodammodo eius complementum, certe in ecclesia B. eadem dies 30 Aprilis nullimode dependet a festo S. Georgii. Hinc, quia non est libera dies 30 Aprilis in ecclesia B., et quia inibi non celebratur continuatio festi sancti Patroni, quod suspenditur pro celebranda solemnitate Titularis, in ea nequit omnino reponi festum S. Georgii; ac propterea perperam applicatur declaratio decreti n. 3853.

In hoc revera legimus clausulam: *dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius;* atqui, arguit solutor quaestionis *E Curenna*, in casu nostro die 30 Aprilis, etiam in ecclesia B., licet occurrat S. Catharina Titularis, huiusmodi festum neque *ritu*, neque *primarii* qualitate, neque *dignitate* superius est festivitate S. Georgii, ergo huic cedere debet.

8. Nos autem non credimus hanc esse voluntatem et

mentem S. R. C. quae revera intellexit declarare transferendum esse festum in ipsam suam diem octavam, dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius *ipsa die octava,* non autem superius *festo transferendo.* Aliis verbis, S. R. C. hoc dicere voluit: transferatur festum in suam diem octavam, dummodo *haec dies non sit impedita a festo maiori.*

Si sensus decreti accipiendus esset, ut vult solutor quaesitus *E Curenna,* haec incongruentia ex ipso manaret; Festum classicum, quod celebrari nequit diebus infra suam octavam, ob occurrentiam festorum duplicium minorum vel semiduplicum, celebrari posset in die octava sua, licet occurrat in ea Festum classicum, non tamen superius *ritu,* vel *primarii qualitate,* vel *dignitate* ipso festo transferendo: quod est inauditum.

9. Super hoc bene scribit in Ephemeridibus *Analecta Ecclesiastica* supra citatis pag. 499, *Prudentius Severi*: " Sed hoc festum, de quo dicitur esse debere superius ut praevaleat, cuinam dicit relationem? Diei festo die suo impedito, an diei octavae? Hunc enim duplicem sensum Decretum admittit hoc est: Festum die sua impeditum reponi debet in die octava, nisi aliud festum superius *se* occurrat: hic est primus sensus. Alter est: festum die sua impeditum in die sua octava reponi debet, nisi aliud festum occurrat superius *die ipsa octava.* Iam nunc primus sensus, nobis exorbitare ita videtur, ut admitti non possit... Adeo est exorbitans, ut nobis non videatur admittendum, cum aliter caeterum explicari decretum possit. Hinc alius videtur amplectendus sensus, ut festum in die octava occurrens debeat semper fieri quando die ipsa octava superius est ".

10. Sed et alia clausula posita est in decreto n. 3853, dicit enim: festum sua die impeditum *transferendum esse in ipsam octavam diem, quamvis in Dominicam incidat.*

Ergo, suppone S. Georgium occurrentem in Dominica

in Albis. Eius festum ab ea Dominica 1ae classis impeditur; cum autem dies eius octava necessario occurrat in Dominica secunda post Pascha, licebit ne in hac Dominicam transferre festum S. Georgii? Procul dubio licebit, dicit enim decretum nostrum: *quamvis in Dominicam incidat.*

Et sane. Cum dies octava ritu duplici recolatur, ipsa praefertur officio Dominicae minoris; hinc Ferrariae, si iam festum S. Georgii celebratum esset, in Dominica secunda ageretur de die octava S. Patroni cum commemoratione Dominicae; igitur, quando festum nondum celebratum sit, in die Dominica loco officii diei octavae, agitur festum ipsum S. Georgii.

11. Hoc plane concordat cum iis quae supra disseruimus. Fac autem quod dies octava occurrat, non in Dominica minori seu per annum, bene quidem in Dominica maiori, quid erit tunc agendum?

Ecce tibi casum. Hoc anno 1902 S. Andreas Apostolus incidit in Dominicam 1. Adventus; in Ecclesia ubi est Titulus, festum eius celebratur cum octava. Cum autem infra eius octavam nulla inveniatur dies libera, transferendum ne erit in Dominicam sequentem secundam Adventus, quae est dies eius octava?

Ita concludendum censuit qui responsum dedit quaesitui *E Curenna*, scribens: " Bene igitur festum habens octavam impeditum die sua, et locum non habens infra suam octavam, reponi potest in ipsa die octava, etsi incidat in Dominicam 2 classis ".

12. Sed neque hanc conclusionem deduci posse credimus ex verbis decreti, quia hoc esset penitus contrarium Rubricis, quae numquam admittunt fieri translatum officium, licet primae classis, in Dominicis 2 classis; et contrarium spiritui Ecclesiae, quae statuit Dominicas Adventus et Quadragesimae recolendas esse ubique terrarum speciali solemnitate. Etenim decretum ponendo clausulam, *quamvis in*

Dominicam incidat, loqui intellexit de Dominicis minoribus tantummodo, non de maioribus. Si enim in hoc contra Rubricas et spiritum Ecclesiae aliquid statuere voluisset, explicite id innuisset dicens: *quamvis in Dominicam incidat licet secundae classis.* Non tamen id dixit, ergo noluit.

In hoc iterum referre placet verba *Prudentii Severi*, qui ad rem optime scribit: " Cum Dominica dicitur, numquam maior intelligitur sed semper *minor*, nisi additum *maioris* exprimatur. Cum ergo in decreto *Dominica* tantum nominetur, iam patet in eo non de maiori Dominica verba fieri sed tantum de minori.... Atqui in Decreto nominatur Dominica ullo sine addito; ergo per hanc appellationem Dominica minor tantum intelligitur et maior excluditur..... Aliunde privilegium festi quod ex decreto est, haud magis convenit ut extendatur, quam verba ipsa significant „.

13. Cuius *Prudentii Severi* disceptatio opportune nos conducit ad aliud corollarium huius nostrae tractationis. Supponit ille hunc casum occurrentiae: " Die 21 Maii occurrit (anno 1903) festum patronale S. Secundini Mart. ritus duplicis 1 classis cum octava. Sed eodem die occurrit etiam Ascensio Domini, quae illi praevalet, sub eodem ritu. Consequenter, eodem ut supra decreto posito, festum S. Secundini, cum dies omnes infra octavam sint impediti, reponendum foret die 28 eiusdem mensis, quae est dies eius octava;..... sed etiam est dies octava Ascensionis. Itane ergo decretum 3853 intelligendum, ut.... octava Ascensionis dies ad ritum simplicem sit redigenda?„

Cui quaestioni respondet negative, et recte; equidem in casu dies octava S. Secundini non est libera, in ea enim agitur officium octavae Ascensionis; dies autem octava cuiuscumque dignitatis cedit duplicibus primae classis occurrentibus non vero translatis. Novi ergo Decreti dispositio neque est applicanda ad hunc casum, quia stant etiam pro eo rationes a nobis allatae.

14. Restat ergo ut componamus duarum Ephemeridum conclusiones. *Prudentius Severius* in " Analecta Ecclesiastica „ deduxit, in decreto 3853 non esse comprehendenda, nec festum cum octava simul occurrens cum festo classico impedito, nec festum classicum in die octava occurrens, nec Dominicam 2 classis. Solutor quaesitus *E Curenna*, in decreto comprehendit non solum Dominicam 2 classis, sed et festum classicum in die octava festi impediti occurrens.

Primus undequaque exacte interpretatus est Decretum: secundus plura intulit, quae in Decreto contineri nequeunt; at ambo interpretando decreti dispositionem, plus minus scientiam liturgicam callere demonstrarunt.

Concludendo itaque dicimus, quod decretum n. 3853, intelligendum est iuxta spiritum Rubricarum, sensum S. R. Congregationis, et doctrinam scriptorum, qui magis sunt accepti; ideoque decretum ipsum ita est interpretandum quasi diceret:

Festum habens octavam quando in die sua celebrari non valeat, et infra totam suam octavam tranferri nequeat, transferendum est in ipsam octavam diem, quamvis in Dominicam incidat minorem, et dummodo octava ipsa ab officio maiori iuxta rubricas non esset impedita.

Haec sententia nostra, salvo meliori iudicio.

Doct. Petrus Piacenza.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE APRILI PROPOSITAE (1)

Propositio.

1. Quid requiritur ut hymnorum Doxologia uti propria habeatur?

2. Doxologia hymni Vesperarum in festo omnium Sanctorum et Matutini de Communi plurimorum Martyrum consideranda ne uti propria, adeo ut quacumque alia speciali occurrente, mutari non debeat, et etiam in aliis horis canonicis sit retinenda?

3. Qua de causa Doxologia hymnorum in festo Exspectationis Partus B. M. Virginis ut propria habeatur.

Solutio.

1. Ut hymnorum Doxologia habeatur tamquam propria, regula generalis est, quod e solito exorbitet, et non solum planam invocationem ad sanctissimam Trinitatem contineat, aut meram glorificationem communem eiusdem Trinitatis, sed et exprimat quid peculiare, alludens sive ad mentem ipsius hymni, sive ad obiectum festi, vel temporis, aut octavae.

Verbi gratia, non est ullo modo propria hymnorum Doxologia ad Laudes in Dominicis Adventus: *Virtus, honor, laus, gloria — Deo Patri cum Filio — Sancto simul Paraclito — in saeculorum saecula;* — nec in Dominicis ab octava Epiphaniae usque ad Quadragesimam: *Deo Patri sit gloria — eiusque soli Filio — cum Spiritu Paraclito — nunc et per omne saecu-*

(1) Solutionem quaestionis misit et alter e nostris Consociatis, Academiae Liturgicae Rom. honoris titulo adlectus, *Nivardus* Can. *Bossi;* alteram vulgamus penitius rem absolventem.

lum. — Ratio, quia istae Doxologiae non habent nisi solam et nudam laudem SS. Trinitatis. Haud aliter propter eamdem causam sentiendum est de Doxologia hymni de Communi Apostolorum ad Vesperas: *Patri simulque Filio — Tibique, Sancte Spiritus, — sicut fuit, sit iugiter — saeclum per omne gloria;* — nec de Doxologia de Communi unius Martyris ad Vesperas: *Laus et perennis gloria — Patri sit atque Filio — Sancto simul Paraclito — in sempiterna saecula.*

Visne autem, amice lector, te certiorari de communi invocatione ad sanctissimam Trinitatem? In promptu habes Doxologiam hymni ad Tertiam, Sextam et Nonam: *Praesta, Pater piissime — Patrique Compar unice, — cum Spiritu Paraclito — Regnans per omne saeculum.* — Quam Doxologiam pariter invenies in hymnis Dominicae ad Vesperas et ad Completorium.

Quantum vero a praecedentibus differat Doxologia propria, sufficit ad demonstrationem quaedam sub oculis ponere exempla per modum antithesis. Considera in primis Doxologiam plerorumque hymnorum ad diversa mysteria vitae D. N. I. C. pertinentium; mysterium quod in festo recolitur, expressim et in Doxologia dicta reperies. Sint in exemplum: 1. Doxologia hymnorum Nativitatis Domini; praeter consuetam laudem Trinitatis, alludit ad obiectum festi, dicens, quod Iesus *natus est de Virgine;* 2. Doxologia hymnorum temporis paschalis, et Ascensionis, quin negligat solitam glorificationem Dei, commemorat mysteria Resurrectionis et Ascensionis, nominando Iesum, *qui a mortuis surrexit, qui victor in caelum redit;* 3. Doxologia hymnorum spectantium ad mysterium redemptionis, ut officium sacrae Lanceae, de Passione etc.; ibi specialis memoria de obiecto festi exprimitur, glorificando praesertim Iesum *clavis foratum et lancea,* vel *qui nostrae dedit prodigus pretium salutis Sanguinem.*

Quoad festa B. M. V., Doxologia hynorum est propria, quia illius maternitatem simul celebrat, nominando Iesum, *qui*

natus est de Virgine, seu filium suum, *qui passus est pro servulis*. Idem dicendum est: 1. de S. Venantio, ubi praeter quamdam laudem SS. Trinitatis insuetam, Doxologia addit, ut Deus *det per preces Venantii beata nobis gaudia;* 2. de festis SS. Crucis, ubi praeter summariam glorificationem Trinitatis, exoptat Doxologia, ut *quibus Crucis victoriam largitur Trinitas addat et praemium;* 3. de Doxologiis hymnorum Quadragesimae, quia connexionem directam sonant cum idea dominante uniuscuiusque hymni, deprecantes, ut *et nos novi per gratiam novum canamus cánticum* ad Laudes, et *ut fructuosa sint Tuis iciuniorum munera* ad Vesperas; 4. de Octavis, quarum ipsa festa gaudent propriis Doxologiis, quia non faciunt nisi unum et idem festum, vel sunt vere continuatio ipsius festi, et ideo ius habent ad easdem Doxologias.

Quam doctrinam per supradicta illustravimus exempla, hanc tenent omnes in re liturgica auctores melioris notae, inter quos Gavantus facile princeps (sect. V, cap. VI, n. 13), Tetamus (tract. II, lib. V e part. III, sect. I, n. 7), et noster Guyetus, qui Doxologiam illam vocat propriam, " *in qua sit connexio aliqua ultimi illius versus cum praecedentibus, seu allusio ad id quod in serie hymni tractatum fuit* (Lib. III, cap. VI, quaest. VI) ".

2. Quomodo autem considerandae sunt Doxologiae, et hymni Vesperarum in festo omnium Sanctorum, et Matutini de Communi plurium Martyrum? Absque haesitatione respondemus, primam non esse ullo pacto propriam, quia continet simplicem et nudam glorificationem uniuscuiusque Personae divinae, quin aliquid peculiare exprimat pertinens ad festum omnium Sanctorum, aut connexum cum obiecto hymni, ut legenti apparet: *Deo Patri sit gloria — Natoque Patris unico — Sancto simul Paraclito — In sempiterna saecula.* Sed secunda Doxologia est vere propria, licet pertinens ad Commune plurimorum Martyrum, quia loco deprecationis solitae ad Trinitatem, dirigit suam petitionem

ad Christum solum, et imo, alludens ad obiectum hymni, seu Martyres, exorat *ut Martyrum consortio iungat precantes servulos in sempiterna saecula.*

Haec prima pars sufficienter patet ex antes dictis, et error est eo magis impossibilis in casu, ut, ex novissimo auctore Stella, propria sit Doxologia, quae peculiari modo clauditur, vel speciali ad Deum petitione gaudet (*Institut. Liturg.* cap. VII, § 3, q. 5), et ibi duos sibi vindicat titulos, scilicet: carentiam consuetae conclusionis, et connexionem cum serie hymni. Ergo.

In occurrentia vero duarum praefatarum Doxologiarum cum alia speciali Doxologia, quid iuris? Quoad Doxologiam communem hymni Vesperarum in festo omnium Sanctorum, oportet et sufficit pro eius mutatione, ut utraque Doxologia sit eiusdem metri, et altera pertineat ad festa B. M. V. vel D. N. I. C. Testis est Rubrica, quae tanquam conditionem mutationis ponit expresse: *dummodo hymni illi sint eiusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium* (Rubr. gen. Brev. tit. XX, n. 4). Altera conditio non est minus requisita, cum interrogata, utrum in festo et per octavam S Angelorum Custodum, hymni eiusdem metri terminari possint, sicut terminatur eorum hymnus in Laudibus per stropham: *Deo Patri sit gloria, — qui, quos redemit Filius — et Sanctus unxit Spiritus, — per Angelos custodiat,* — S. R. C. respondit: *Negative* (19 Iunii 1700, n. 2059 ad 3). Sunt multi hymni, ait Episcopus Marsorum, qui habent conclusionem propriam. Conclusio ista semper ne adhibenda est etiam in Completorio? Cui respondit Congregatio: *Negative*, nisi in festis Domini et B. M. V. (12 Nov. 1831, n. 2682 ad 51) Ergo nostra prima Doxologia non, quacumque alia speciali occurrente, mutari debet, sed tantum comprobatis duabus conditionibus supradictis.

Si devenias ad Doxologiam Matutini de Communi plurimorum Martyrum, nunquam mutanda est, quacumque alia

speciali occurrente, quia ita docet Rubrica, quae mutationem non admittit pro hymnis qui habent ultimum versum proprium, *ut hymnus S. Crucis ad Vesperas et plurimorum Martyrum ad Matutinum* (Tit. XX, n. 4). Ceterum sensus liturgicus vult, quod magis proprium est, id praeferri minus proprio; sed Doxologia neque Temporis neque Octavae comparari potest Doxologiae propriae, quae participat etiam ad obiectum ipsius hymni, et continuat proprie eius seriem. Ergo non sufficienda est ei Doxologia sive *propria* Temporis, sive *proprior* Octavae, quia Doxologia faciens quasi corpus cum ipso hymno, magis adhuc est propria, et dici potest *propriissima*.

At vero retinendae ne erunt istae duae Doxologiae in aliis horis canonicis? Nec illa Omnium Sanctorum ad Vesperas, nec ista plurimorum Martyrum, locum habere queunt in aliis horis canonicis; prior, quia est Doxologia communis, quae nunquam est subroganda ullo titulo ad Doxologiam communem istarum horarum canonicarum; posterior, quia pertinet ad Sanctos Martyres, quorum Doxologia etiam propria nunquam est ponenda in aliis horis canonicis, ut constat ex Decretis superius relatis cum Guyeto, qui docet consuetudinem non vigere, ut talis Doxologia extra suum hymnum usurpetur (Lib. III, cap. VI, q. 6 et 7). Ergo, licet propria, nihilominus pro aliis hymnis non est adhibenda.

3. Hisce autem praecedentibus admissis, curnam Doxologia hymnorum in festo Exspectationis Partus B. M. V. habetur ut propria?

Certe illud non est quia efformaret peculiarem laudem SS. Trinitatis, quoniam Doxologia huius praefati festi convertitur una simul cum Doxologia Adventus, quae communis indubitanter est: *Virtus, honor, laus, gloria — Deo Patri cum Filio — Sancto simul Paraclito — In saeculorum saecula;* sed habetur ut propria ob expressam voluntatem Ecclesiae, quae noluit ullum festum B. M. V. carere Doxologia propria, teste

Decreto 29 Nov. 1738, n. 2340 ad 5, quod in dicto festo terminari mandavit hymnum cum versu: *Virtus, honor, laus, gloria;* per exceptionem, cum Rubrica recitare iubet: *Iesu tibi sit gloria*, quandocumque fit officium Beatae Mariae, tam novem quam trium lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium hymnorum, praeterquam in fine hymni *Ave, maris Stella* (Tit. XX, n. 4).

Et revera non conveniret dicere: *Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine*, quando celebratur praecise *Exspectatio Partus,* qui mox dare debet mundo Redemptorem, nec quodcumque aliud peculiare, pertinens ad mysteria vitae D. N. I. C., aut maternitatis B. M. V.; quando Iesus mox quidem venturus est in mundum, sed puer nondum natus est nobis. Quid autem restat, nisi Doxologia communis?

Quapropter, nihil valens dicere proprium aut peculiare de Iesu in festo huiuscemodi, et tamen exoptans quod stet Rubrica attribuens Doxologiam B. M. V. in fine omnium hymnorum, qnando celebratur aliquod festum in illius honorem, *exceptionaliter* declaravit Ecclesia Doxologiam ipsius Adventus evadere in casu propriam festi Exspectationis Partus, quatenus magis convenientem et congruam.

Ita, salvo meliori iudicio.

A. Fournéret, Censor Acad. Liturg. Rom.
Parochus loci vulgo dicti Lannes (Dioec. Lingonen.).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE IUNIO 1902.

In Ecclesia A Cereus paschalis praegrandis habetur, qui semel benedictus, cum ad fontis benedictionem sit ineptus, ob aediculae depressionem, singulis annis suo loco absque novo ritu, additamento, vulgo *giunta*, quando opus est, renovato, Sabbato Sancto collocatur; dum pro fontis benedictione alius minoris formae benedicitur. Hic autem, expleta fontis benedictione, Sabbato Pentecostes, prope Altare SS. Sacramenti consumitur, reliquiis eiusdem ac granis thuris a fidelibus devotionis ergo asportatis.

At, anno elapso, maiori Cereo confracto, novus suffectus est, et una cum minori, sub unico videlicet ritu, benedictus.

Cereus maior quinque ligneis pineis, argento auroque obductis, pro granis incensi, adornatur; minor grana inclusa habet quibusdam in thecis formam pineae praeferentibus.

Quid de his omnibus dicendum?

Nova Lunula

PRO GRANDIORI HOSTIA.

Lunula hactenus in usu pro Hostia grandiori, in Ostensorio collocanda, tres habuit formas plus minusve incommodas, difficultate inspecta illam a fragmentis abstergendi. Antiquior forma et communior erat dimidiatae lunae instar, unde lunulae nomen. Imo duae erant dimidiatae lunulae, altera proximius alteri, sibique adhae-

rentes: ita tamen ut minimum inter utramque spatium ad continendam Hostiam intercederèt.

Neminem latet, haud levem fuisse difficultatem, ob eiusmodi formam, abstergendi lunulam a fragmentis. Agitari quidem et excuti poterat, lavari etiam aqua vinove; at purificationem fuisse omnimode absolutam, nemini ius erat certo affirmandi.

Alia lunulae forma postmodum inventa est. Eaedem, de quibus supra, erant lunae dimidiatae, sed mobiles, eaeque adhaerere sibi, vel non, poterant per parvam cochleam, quae Hostiam velut intra forcipem constringebat. Si huiusmodi lunulae forma quamdam prae prima exhibebat utilitatem fini suo respondentem, iisdem haud carebat incommodis maxime quando altera ab altera parte separari non poterat.

Tertia, quam lunula praeseferebat, forma recentior, e duobus constabat circulis, quos duae adornabant crystalli, quibus sancta includebatur Hostia. Hanc autem formam S. R. C. proscripsit, utpote ineptam, si, ut facillime accidit, S. Hostia crystallos tangat. Verum, etsi huiusmodi inconveniens vitetur, crystallis fragmenta facile adhaerènt, quod admitti non debet.

Ceterum praefatae tres formae, maximum afferebant incommodum, quum eae Sacerdoti celebranti tractandae erant; namque is ex Rubrica utriusque manus clausos habere debet pollicem indicemque digitos inter se, ut lunulam tractare nequeat, nisi extremis cum digitis mediis, et agere cum extremitate interna medii digiti, extremitati externae indicis superposita.

Novissima, quam annuntiamus, forma lunulae nullum exhibet inconveniens, dum e contra plurimum affert commodum, ut nullo negotio tractari ac purificari possit, sive liberis cum digitis, sive cum indice et pollice clausis. Quibus si addas elegantiam, qua huiusmodi lunula est praedita, facile illam ultimum desideratum dices.

Consistit in tenui lamina, cui unius centimetri latitudo, decem vero longitudo est. In illius extremis partibus sectio facta est unius centimetri. Flexa est lamina ad dimidium fere arcus, ita tamen ut utraque extrema pars a sectione divisa, non eamdem praeseferant

curvam lineam. Extremitates anteriores naturalem sequuntur curvaturam laminae ad arcum, ut diximus, dimidiatum: posteriores vero sibi invicem versus centrum appropinquant, adeo ut visa lunula e prospectu quatuor appareant cuspides, quarum externae sunt extremitates anteriores, internae vero extremitates posteriores sunt.

Sicut autem sectio laminae ita acta est, ut commode spissitatem Hostiae continere valeat, haec eadem Hostia nullo labore in illam introducitur. Sustinetur autem a laminae centro in inferiori parte, in superiori ab utraque cuspide extremitatum, apte dispositarum, ut superius diximus.

Huiusce lunulae formam, si videas, miraris indubie quod nullus adhuc hominum adinvenire hucusque potuerit, tanta est simplicitas, in eaque efformanda facilitas. Et nihilominus recentissima est, nullum parit inconveniens, incommodum nullum, utilitatem maximam et reverentiam in sacra fragmenta fovet. Nobis in mentem subit ovum Columbi.

Recensio Operum

QUAE AD DIRECTIONEM DATA SUNT.

I. Thomae Hemerken a Kempis *Canonici Regularis Ordinis S. Augustini* — **Orationes et Meditationes de Vita Christi,** epilegomenis et apparatu critico instructas, ad Codicum manu scriptorum editionumque vetustarum fidem recognoscebat emendabatque **Michael Iosephus, Pohl,** Philos. Doct. Regii Gymn. Thomae a Kemp. Dir. cum Thomae effigie, cum approb. **Rev. Archiep. Friburgensis.** Friburgi Brisgavorum. Sumptibus Herder **Typographi Editoris Pontificii,** MDCCCCII. Vindobonae, Argentorati, Monachi, S. Ludovici Americae. Opus adeo pretiosum, ut praeclarissimis De Imitatione Christi libris non indignum esse videatur. Eapropter hic de Vita Christi ac de beneficiis eius libellus, tum iis qui me-

ditatione, tum vero illis, qui oratione vocali uti consueverunt, admodum utilis erit, etiam et pastoribus concionatoribusque, ut hinc (si voluerint) pios, devotos, spiritualesve conceptus eliciant, quos suis auditoribus proponant. Pret. Libell. 3,75 solut.; 5,75 corio a dorso religat.; membrana a dorso religat. Libell. 6,25.

II. Settimio Aurelio Nappi — **Per la vita.** Roma, Desclèe Lefebvre e C., via S. Chiara 20-21, - 1902. - Opus praeclarum, sententias pro agendis continens plus minusve breves, ordine, veritate, religione, pulchritudine ac voluptate mirum in modum praeditas. Pret. Libell. 2,50.

III. Prof. Tito Aurelj. — **La Vita e la Morte.** Roma, Desclèe Lefebvre e C., via S. Chiara 20-21, - 1902. - Opus praestantissimum, duo maxima problemata experimento et inductione resolvens. Hodiernam methodum, quae tot atheos genuit, adhibet cl. Auctor, ut credentes efficiat. Opus absolute novum, omne quod scientia comprehenditur exponit, poesi experientiaque vestiens, dominus percurrit, a sensibili ad spiritualia transcendens, secure ad Causam causarum in caelum transfert. Pret. Libell. 4.

IV. Mons. Bartolini. — **Dante e i suoi Commentatori** *(Estratto dal* " Giornale Arcadico „ *Serie III)* Roma, Scuola tipografica Salesiana, via Porta S. Lorenzo, 42, - 1902. Notus auctor eos omnes recenset Italos exterosque divinae Comoediae expositores; suumque hac illac de commentandi ratione aequum et auctoritate plenum iudicium profert. Pret. Libell. 0,80.

V. **Consultazioni Morali — Canoniche — Liturgiche** su casi e materie svariate, che specialmente riguardano i tempi nostri per Casimiro Card. Gennari. Edizione seconda ritoccata e considerevolmente accresciuta. Vol. I. **Consultazioni Morali,** Roma, Presso la Direzione del **Monitore Ecclesiastico.** Cl. Auctoris nomen satis per se loquitur, ut quidquid dicamus merito sit inferius. Contenti sumus utilitatem innuere vel maximam, quam ex Casuum huiusmodi solutione percipere possunt Ecclesiae viri, quum in illa doctrinam inveniant, facilitatem, certitudinem, atque in praesentibus rerum temporumque adiunctis occurrentibus securitatem agendi.

VI. **Casus Conscientiae,** ad usum Confessariorum compositi et soluti ab Augustino Lehmkuhl, Societatis Iesu Sacerdote. II. Casus de Sacramentis, qui respondent fere " Theologiae Moralis „ eiusdem Auctoris Volumini alteri, cum approbatione Rev.mi Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. Friburgi Brisgoviae. Sumptibus Herder Typogr. Editor. Pontificii. MCM. Vindobonae Argentorati, Monachi, S. Ludovici Americae. Opus omni aestimatione dignissimum, cui et Confessariorum, illud attente legentium, maxima respondebit utilitas. Siquidem doctrinae dominium, ordo, facilitas, securitas Casuum omnium solutionem mirifice commendant. Pret. Libell. 8, solut. Religat. vero a dorso corio, 10,50.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Roma. 1902. - E schola typographica vulgo " Tata Giovanni „ *Piazza del Biscione, 95.*